
IMITATIO

SANCTISSIMÆ VIRGINIS

AD NORMAM IMITATIONIS

JESU CHRISTI.

LIBER II.

In quo expenduntur vita, & virtutes sanctæ Virginis inde a Nativitate Filii sui divini in Bethlehem, usque ad tempus, quo eum vidit, vitam suam, & sanguinem pro salute humani generis in monte Calvariæ profundentem.

CAPUT I.

De beata pauperum sorte.

S*ervus.* Cum gaudio contemplor, o Virgo sancta, placidissimam illam quietem, qua animus tunc perfruebatur in stabulo Bethlehemitico, ubi JESUM in lucem edidisti.

Repulsa inofficiosa, qua loci incolæ hospitium inhumaniter negarunt, animi tui quietem non interturbavit.

Re-

Regina Angelorum se turba pauperum pastorum cinctam esse læta cernit. Mater Domini temporum, & arbitri tempestatum se in stabulo dirissimis aeris injuriis expositam esse gaudet.

Tu magis contenta eras, immo millies magis stabulo hoc, & statu miseriæ, in quo posita eras, quam ditissimi cives Bethlehemi opibus suis, & facultatibus, quibus adfluebant, contenti fuerint.

MARIA. Hinc disce fili mi! quam parvi facienda sint omnia bona terræ; & si iis destituaris, disce statum tuum æstimare. Anne pauperes sese infelices existimare possunt, quando animum advertunt, *JESUM* voluisse, ut illa, quam elegit Matrem, pauper esset? quando cernunt, Ipsi adeo *JESU* nato non aliud habitaculum, quam pauper præsepe, immo pauperrimum fuisse; quando ex ore *JESU* audiunt: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*, (a) idque per vitam omnem; quando denique cogitat, etiam morienti *JESU* non alium lectum, quam crucis stipitem obtigisse.

Non ille ex divitibus, & sapientibus, sed ex rudibus, & pauperibus hominibus Apostolorum cœtum conflavit.

G 4

Pau-

(a) Matth. 8. 20.

Pauperes erant, quibus præ ceteris legem suam promulgavit juxta id: *Pauperes evangelizantur* (a) Illos ita in oculis ferebat, ut diceret: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* (b)

Divites sæpe egenos despiciatui habent. At idem DEUS, qui ait: *Væ vobis divitibus* (c) pauperes *ad cœnam* (d) vocari jubet.

Beati pauperes spiritu JESUS ait, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, quæ verba tam pauperibus, qui vere pauperes sunt, suamque paupertatem æquo animo perferunt, quam divitibus, qui cor suum opibus non adfigunt, convenire possunt.

Pauperes in sua vitæ conditione non id ante oculos suos habere deberent, quod vile & abjectum est judicio mundi, sed id, quod doctrina Evangelii in iis tanquam magnum & gloriosum nobis proponit.

Nemo foret ex omni numero pauperum, qui conditionem suam pauperem cum divitum & fortunatorum mundi conditione commutare vellet, si fidei lumen consuleret, & fide staret.

Fi-

(a) Luc. 7. 22.

(b) Matth. 25. 40.

(c) Luc. 6. 24.

(d) Luc. 14. 21.

Fili mi! in rerum abundantia cor terræ adfigitur; cœlum oblivioni traditur; tentationes sunt fortes, & ruinæ frequentes. Qui desiderat divitias, id desiderat, quod est maxime perniciosum salutis animæ suæ.

Incaustum homines vitæ suæ tempore desudant in coacervandis opibus. Ingruente morte nihil secum auferent.

In morte virtus solum illud bonum est, quod remanet; & status paupertatis est ille status, qui multas occasiones præbet virtutem exercendi.

Dives, ut Evangelium tibi testatur, sepultus est in inferno, & factum est, ut moveretur mendicus, nomine Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahamæ. (a)

Servus. Itane me doces, o Virgo sancta! paupertatem divitiis præferendam esse? Ah fac, ut deinceps omnia mea desideria in bona cœlestia ferantur, & sancto quodam contemptu terrena omnia despiciam.

(a) Luc. 16. 22.



CAPUT II.

De paupertate voluntaria.

Servus. Quanta tibi tua in paupertate perferenda fuerunt, o Virgo, DEI Mater! & tamen numquam querelis, ac lamentis te dedisti, sed neque hominum quisquam sortem tuam mitiorem tibi reddere studuit.

Verum qui factum est, ut numquam conditionem pauperis tuæ vitæ divino Filio tuo JESU exponeres? Matris DEI solum erat petere. Nihil erat, quod tantus ei filius negaret.

Confestim tua ad obsequia sese stitissent omnes Angeli, sibi gloriæ duxissent subsidia tibi necessaria procurare.

MARIA. Fili mi! sat dives est, qui JESUM possidet. Anima, cujus unicum bonum DEUS est, bonis hujus mundi nullo modo movetur, neque ægre fert egestate premi.

Cernebam JESUM, Regem cœli, Dominum mundi, *quoniam propter nos egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.* (a) Illum imitari mihi gloriæ duxi.

Bea-

(a) 2. cor. 8. 9.

Beati, qui electione sua pauperes sunt, & imitando propositum sibi divinum exemplum bonis sese mundi exspoliant, ut eo liberius acquirendis divitiis amoris divini, & bonorum cœlestium intenti esse queant.

Beati, si, ut JESU similiores fiant, libenter perferunt effectus paupertatis, & si cor penitus avulsum habent ab iis etiam rebus, quarum usus eis conceditur.

Sed multi, proh dolor! ex iis, qui hunc statum perfectionis amplexi sunt, longe absunt ab ea perfectione, quam status eorum requirit.

Sunt, qui cor suum minutis rebus, quas sibi procurare licet, ita adfigunt, ut illud adfigerent rebus maximis, si eas possiderent.

Potestne quis adfirmare, se amore JESU paupertatem elegisse, si modo omnibus curis, quas divitiæ gignunt, liber esse velit; adpetat omnia ea commoda, quæ ex divitiis haberi possunt.

En JESUM natum in Bethlehem, viventem in Nazareth, morientem in monte Calvariæ! Hoc sibi exemplum imitandum proposuerunt omnes ii, qui propria electione amore JESU paupertatem amplexi sunt.

Hoc ipsum exemplum omnes, qui christiano nomine gloriantur, pro viribus in se exprimere debent, cor suum & animum ab amore divitiarum avellendo.

San-

Sanctus Spiritus non omnibus dicit: Nuncium mittite divitiis. Hunc perfectionis gradum ab omnibus non exigit. Verum omnibus injungit. *Divitiæ si adjuvant, nolite cor adponere.* (a)

Nequit DEUS suum regnum in eo corde constituere, quod perituris hujus vitæ bonis adhæret.

IESUS in hanc terram veniens non elegit vitam, mundi judicio beatam, sed divitias ejus penitus repudiavit. Necesse igitur est, eas omni contemptu dignas esse.

Bona terrena sunt spuria, simulque hominibus perniciofa, iis solum exceptis, qui bonis hujus vitæ, bona vitæ æternæ mercari norunt.

C A P U T III.

De charitate erga pauperes.

MARIA. Ama pauperes, fili mi! Arripe cum gaudio modos omnes, qui se tibi offerent, eorum ærumnas sublevandi.

Ita te dignum probabis honore filii adoptivi DEI, qui distincte in sacris litteris se curatorem pauperum constituit; qui non

nu-

(a) Pl. 61. 11.

nude dandæ eleemosynæ consilium præbet, sed eam etiam præcipit omnibus iis, quibus facultates suppetunt, eleemosynam largiendi.

Servus. Exemplum tuum, o augusta Virgo, hanc etiam doctrinam tuam confirmat. Quidam ex ferventissimis tuis servis (a) adfirmant, pauperes in regionum donorum, quæ servatori nato, qui venerant eum adoraturi, Reges obtulerunt, communionem venisse.

Tu ex iis muneribus id in usus tuos convertisti, quod ad extremam inopiam tollendam, quæ te in Bethlehem premebat, opus erat. Ceterum vitæ paupertas tibi in amoribus erat eam ob causam, quod divino filio tuo adsimilabare.

Tu eam præferebas omnibus commoditatibus, quas capere poteras ex auro oblato. Fixum erat in rerum penuria, & obscuritate vivere, in qua DEI providentia te nasci voluit, etsi sanguinem ex Davide traheres.

O exemplum admirabile contemptus simul rerum terrenarum, & charitatis erga alios, quum id pauperum solatio tribuisti, quod ad vitæ commoditatem, & jucunditatem facere poterat.

MA.

(a) S. Bonaventura, vitæ Christi medit. cap. 9.

MARIA. Fili mi! non melius facultatum ea pars omnis, quæ rebus nostris adfluit, impendi potest, quam si in solamen pauperum erogentur.

Si a divitiis instructus es, memor esto, te a providentia divina, quæ eas tibi largita est, administratorem constitutum esse, ut iis, qui opibus destituuntur, prospicias.

Ne imiteris divites avaros, qui fratrum suorum indigentibus viscera sua occludunt, & malunt eos miseris oppressos cernere, quam te quadam re sua in illorum gratiam exspoliare.

Omnis eorum cura in congregandis pro vita præsentis thesauris versatur. At aderit tempus illud, quo iter æternitatis ingredientur, & veritatem divini effati experientur: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* (a)

Aemulare divites eos, qui charitate & misericordia pleni sese patres pauperum constituunt, neque verentur, ne ipsi ad incitas redigantur, dum frequentiores, & largiores eleemosynas in egenos conferunt.

Quantis a DEO bonis hi patres pauperum in terra donantur? quanto autem majoribus aliquando in coelo cumulabuntur?

Vel

Vel in hac peregrinatione Dominus sæpe cum foenore reddit, quod charitas eorum in sinum pauperum recondit. Illud vero lucrum, quod illis æterna in vita manet; amplitudini divinorum promissorum, penitus respondebit.

Si peccatis suis sibi fores aulæ cœlestis clauferunt, eleemosyna eas reserare potest. Scriptum est: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum* (a)

Sit hoc negotium tuum pauperibus succurrere. Noli audire amorem proprium, habendique cupiditatem, quæ nihil quidquam sibi sufficere credit.

Licet tibi curam rei familiaris gerere. Sed cave, durus sis, aut avarus. Quam laude digna est illa rei domesticæ administratio, quæ in opem aliorum est intenta!

Nisi ipse rerum penuria labores, a facienda eleemosyna te exemptum esse ne crede. *Quomodo potueris, ita esto misericors.* (b)

Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. (c)

O fili

(a) Dan. 4. 24.

(b) Tob. 4. 8.

(c) Ibi. 9.

O fili mi! quæ, quantaque eorum, qui opera misericordiæ diligenter exercuerint, erit fiducia coram tribunali DEI misericordiarum!

C A P U T IV.

De necessitate & utilitate meditationis.

Servus. O unum servatoris receptaculum Bethlehem! enarra nobis, quæ audisti, & vidisti, quando pastores ad præsepe venerunt, JESUM adoraturi.

Aut potius tu ipsa o Virgo, Mater DEI! indica nobis, quid tum mente agitaris.

MARIA. Fili mi! Plane admirabile spectaculum DEI infantis positi in præsepio, pannis involuti inexhausta mihi fuit materies meditationis.

Nequibam satiari meditando grande hoc mysterium. *Conservabam omnia verba hæc, conferens in corde meo.* (a) & alte mihi imprimebam.

Admiratione defixa eram multo magis, ac pastores considerando mirabilia, quæ fiebant. Omnes animæ meæ facultates occupatæ erant tantæ rei contemplatione

Inde

(a) Luc. 2. 29.

Inde proveniebant teneræ illæ adfectiones, quibus identidem cor meum exardescibat. Inde laudes illæ, & gratiarum actiones, quas DEO optimo maximo offerre non cessabam.

Si tu fili mi! grandibus fidei veritatibus imbui cupis, necesse est, ut eas serio expendas, & attente mediteris.

Fides tot Christi cultorum non aliam ob causam languet, quam quod eam meditatione minime nutriunt, & corroborant.

Quæ, quantaque sunt crimina, morumque corruptelæ in terris! Horum omnium fons est oblivio æternarum veritatum.

Frequenti perfectionum divinarum meditatione, & enata inde crebra consideratione vanitatis rerum humanarum sancti homines amorem a rebus caducis abstraxerunt, & omnes suas adfectiones ad conditorem transtulerunt.

Hoc sanctum exercitium eos docuit non æstimare, nisi id, quod grande, & pretio dignum est in conspectu DEI, efficitque, ut cor eorum sanctis flammis succenderetur, & igniculi plane cœlestes egrederentur, qui in abyssum divinitatis ferebantur.

Nulla ergo dies prætereat, qua sancto hoc alimento non utaris, & qua animum meditatione cujusdam æternæ veritatis non excolas. Sic addiscitur scientia Sanctorum;

Non prætexe more aliorum angustias temporis, quasi occupationes spatium meditando rebus divinis non relinquerent. Non tempus, sed voluntas deficit.

Unicum modo, si proprie dicere velimus, est in vita negotium nostrum; negotium salutis. Sane parvi nobis esse videtur hoc negotium, nisi id a nobis impetret, ut nullam sine ejus meditatione diem elabi patiamur.

Singulis diebus tempus tibi suppetit serio cogitandi de negotiis terrenis, transitoriis. Num ullum est majoris momenti negotium, quam negotium æternitatis?

Nec etiam per inscitiam tuam te excusa, quasi meditari nescias. Nosti mentem tuam defigere in scrutandis mille rebus, quæ tantum sciendi cupiditati adulantur; & quando agitur de grandibus fidei veritatibus, & negotiis æternæ salutis meditandis, tunc facultatis inopiam prætexes?

Nisi quis DEI gratiam parum curet, & salutem suam parvi pendat, fieri nequit, ut hoc efficax sanctitatis acquirendæ remedium negligat.

Fili mi! vita tua erit bene morata, si quotidie aliquid temporis sumas discutiendi te ipsum coram DEO, an talis sis coram DEO, an talis sis in conspectu DEI, qualis esse debes.

Mors te imperatum minime occupabit, si omni die modum bene moriendi addiscas.

Si quot diebus quartam saltem horæ partem ante aram, aut ante pedes suffixi in crucem servatoris infumas meditando perfectiones divinas, ejus miserationes, comminationes, promissa, fiet, ut rerum cognitionem tibi compares, quæ omnem sapientum scientiam quam longissime exsuperet, quorum docta monumenta omnes scientias complectuntur, excepta scientia salutis. David ait: *super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* (a)

Quid prodest homini mentem locupletare omnibus cogitationibus judicio mundi utilibus, & laude dignis, si illæ desiderentur, quæ sunt Sanctorum, & quæ sanctos efficiunt.

Virtus solis desideriiis minime obtinetur? Necessè est seriam operam navare, & modos omnes virtutis exercendæ adhibere.

Ora JESUM ferventer, ut per ejus gratiam omne in exercitio meditationis tædium vincas. Malus dæmon non alio consilio te inde abstrahere nititur, quam quia probe novit, quanti momenti usus hujus exercitii existat.

Non modo ipse ex meditationibus maximum hauries fructum ad vitæ tuæ rationes sancte componendas; sed etiam ad alios in via salutis dirigendos, qui curæ tuæ singulariter concrediti fuerint.

C A P U T V.

De observatione legis divinæ.

MARIA operante divino Spiritu concepit. Effecta est Mater, & Virgo permanfit. Nativitas filii divini integritatem ejus magnis incrementis auxit. Non ergo lege purificationis teneri potuit.

Interea tamen, licet lege minime comprehenderetur, ei sese subicere voluit. Immo ita accurate eam servavit, ut omnes etiam apices expleret.

Exemplum filii sui JESU, qui legem circumcisionis subire voluit, incitamento fuit, ut sponte suo sese privilegio abdicaret.

Præterea quum lex nullam exceptionis mentionem faciat, MARIA sine dilatione & excusatione obedit.

Videri quidem poterat, offerendo juxta legem filium suum in templo puerum hunc divinum cum aliis natis hominum exequare.

Verum lex præcipit, ut matres DEO offerant in templo primogenitos suos. Patris cœlestis nutui relinquit Virgo Mater, ut gloriam JESU tempore, quo volet, manifestet. *MARIÆ* satis est obedire.

Quam hoc exemplum nos in ruborem dat, qui languemus, quando obediendum est legi divinæ, aut excusationes vanas exquirimus, & in medium adferimus; ut nos a prompta, & integra obedientia eximamus.

Fidem pene superat, supremo Domino obedientiam negari, quæ exigitur ab iis, qui nostræ subsunt potestati.

O homo, qui pulvis & cinis es, tunc audes dicere supremo Domino, DEO ipsi, te obedire non posse? Tunc quereris, legem ab imbecillitate tua nimium exigere? quæ audacia, quæ temeritas!

O probrum! jugum Domini nimis grave videtur, licet ipse adfirmet: *jugum meum suave est, & onus meum leve*. Et quod ad cumulum accedit, jugum mundi præfertur, etsi tyrannidem exercent.

Ut mundo obediatur, omne id, quod maximo in pretio est, illi consecratur: flos ætatis, mentis vigor, animi teneritudo, robur virium, & facultatum. DEO vero tempus præfigimus, quo ejus voluntati, ut quidem dicimus, obediamus.

Quod aliud non est, quam DEO relinquere fœcem ætatis, devexam senectutem, sensus jam emortuos, & omne id, quod mundus jam adspernatur.

Ut mundo placeamus, quotidie imperiosis ejus nugis, & stolidis consuetudinibus nos cœce subjicimus. Dum autem agitur de gratia apud DEUM tam amabilem Dominum ineunda per cœcam quamdam obedientiam ejus legi præstandam, omnis submissio molesta, ac difficilis accidit; aut etiam ad excutiendum jugum rationum figmenta callide excogitantur.

Si quis se ipsum consulat, aut si mundum consulat, antequam animum inducat ad obedientiam DEO debitam exhibendam, aut numquam obediet, aut restrictè aut parce obediet; quia lex DEI propensionibus nostris, & legi mundi opposita est.

Neque caro, neque sanguis consuli debent in iis, quæ ad legem divinam pertinent. Natura nostra non deducit nos, nisi ad morum corruptelam, & mundus nos incitat ad omne imperium detrectandum.

O supreme Domine! cui soli jus est imperandi, ita ut nulli jus sit causam, cur jubeas, inquirendi, da nobis cor *omnibus*, *ut faciamus tuam voluntatem corde magno,*
E

Et animo volenti, ac aperi cor nostrum in lege tua, Et in præceptis tuis. (a)

Justitia tua, justitia in æternum: Et lex tua veritas (b) descendat tuo munere in cor nostrum, ut ros, — quasi imber super herbam, Et quasi stillæ super gramina. (c)

Vates tuus regius testatur: Pax multa diligentibus legem tuam, Et non est illis scandalum. (d)

Lex tua eodem teste, dat sapientiam parvulis; perducit ad veram felicitatem; expellit tristitiam ex corde; & dissipat tenebras mentis.

Unde ait: Judicia Domini vera, justificata in semetipsa; desiderabilia super aurum, Et lapidem pretiosum multum: Et dulciora super mel Et favum. (e)

Utinam servus tuus custodiat ea o Domine! Iterum fidem meam obligo, spondeoque, me numquam recessurum esse a lege tua. Confirma hoc Deus, quod operatus es in me. (f)

H 4

Us-

(a) 2. Mach. 1. 3.

(b) Ps. 118. 142.

(c) Deut. 32. 2.

(d) Ps. 118. 165.

(e) Ps. 18. 10. seq.

(f) Ps. 67. 29.

Usque ad extremum vitæ meæ spiritum legem tuam custodiam. Illa erit mihi instar divitis hæreditatis, quam summa cura conservare contendam. Illa erit gaudium & deliciæ meæ.

C A P U T VI.

De bono exemplo.

MARIA legem purificationis observabat, ut ne offensionem præberet Judæis, qui eam esse virginem ignorabant.

Bonum pariter exemplum cœcæ, & liberalis obedientiæ exhibebat tum Josepho sponso suo, tum iis omnibus, qui forte perinde divinitus, ut ille, hoc mysterium didicerunt.

Noli omittere actionem, etsi lege ad eam ponendam non adstringaris; si ejus omissio offensionis in vulgus materies esse queat.

Si etiam pietatis exercitia, & contemplationis dulcedinem te relinquere oporteat, ne cunctare. Hoc aliud non est, quam DEUM propter DEUM relinquere.

Qui DEUM amat, illi aliorum animos conciliare studet. Id efficacius fieri nequit, quam

quam si alii ex bonis exemplis intelligant, quantum DEUS ametur.

Piæ adhortationes ad virtutem incitant ad eam magni faciendam. At ubi virtutis exercitium ad doctrinam accedit, hoc pondere aliis multo magis persuaderi solet. Exemplum Sanctorum sanctos efficit.

Actiones virtutum, quas exercebant Apostoli, & primi Christi cultores non minoris erant efficaciam ad hominum animos permovendos, quam sermones illorum, & miracula.

O quam pauci hodie numerantur inter Christi cultores, qui ea virtutum exempla edant, ut dicere cum Apostolo possint: *Christi bonus odor sumus.* (a)

Homines non videntur sese alio fine frequenter convenire; nisi ut mutuo ad suam perniciem per mala, quæ invicem præbent, exempla conferant.

Si perire velitis, satis fit, vos solos perire. *Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. — Et peribit infirmus, propter quem Christus mortuus est?* (b)

Si terrena bona aliis auferantur, grande id crimen est. Quantum vero crimen

H 5

esse

(a) 2. Cor. 2. 15.

(b) 1. Cor. 8. 9. 11.

esse dicemus, bona illis æterna auferre! qui id possunt, sunt emissarii, & instrumenta dæmonum.

Præ ceteris, qui auctoritate pollent, in id intenti esse debent, ut bonis exemplis præluceant; quia subditi ad eorum se mores conformare non dubitant.

Magis adhuc circumspecti sint viri Principes oportet. Si reverentes se non præstent erga leges DEI, & Ecclesiæ, confestim imitatores habebunt. Ad talia exempla se componere gloriosum ducitur.

Anne isti se efferre possunt supra MARIAM, quæ ut Mater DEI omnibus titulis excellentiæ gaudebat, qui infra DEUM menti creatæ contingere queunt?

Discant ex hac Virgine, DEI Matre, alto honoris gradu, in quo sunt, uti ad gloriam DEI, qui eos ibi collocavit.

Anne amplitudo, & nobilitas titulus est, qui jus præbeat, ut quis ab officiis christiani hominis desciscat?

Quo quis altiori gradu constitutus est, eo magis renetur muneris sui partes explere.



C A P U T VII.

De amore & pretio operum humilitatis.

Magnæ erat humilitatis pro sancta tua Matre, o DEUS meus! observare legem purificationis; legem pro matribus communibus latam.

Splendor Virginitatis, quem tantopere prelsavit, quando Angelus mysterium nascituri DEI hominis illi indicavit, quadam ratione per hanc legis ceremoniam obscuratus fuit.

Sed non ignoravit opprobrium, & abjectionem, quæ aliquando Te filium suum manebat; ideoque se beatam reputavit, quod tibi adsimilaretur.

Quanto magis eam ab aliis foeminis discevesti, tanto amplius vulgares inter matres censeris, suasque prærogativas celari gaudet.

Anima, quæ exemplo MARIÆ non quærit, nisi DEO placere, parvi pendet famam apud homines, nominisque existimationem; neque eorum obsequiis movetur.

Sed potius, ut Propheta loquitur, eligit *abjecta esse in domo DEI*, (a) & hunc
sta-

(a) Ps. 83. 11.

statum præfert omni pompæ, & splendori, quo amatores mundi superbiunt.

Virtus certe tutiori loco consistit in conditione humili & abjecta, quam in sinu honorum & dignitatum.

Quod si aliquomodo delitescit, & abscondita est ab oculis hominum, quam maxime illustris fit apud DEUM.

Non alius finis est veræ virtutis, quam sibi gratiam DEI conciliare. Si hominibus ignota sit, aut etiam contempta, eo se beatiorum esse arbitratur.

Ipsa DEI providentia, quæ justorum curam gerit, illos sæpe deducit per semitas opprobrii, & contemptus ad terminum meritum, & ad metam gloriæ cœlestis.

Amor quidem proprius ægerrime fert se despici, & contemni. At vel ideo meritum capit incrementum.

Sancti homines gratias egerunt DEO pro opprobriis, quæ perferenda habuerunt, veluti ingentibus beneficiis adfecti essent.

Si necdum his sensibus imbutus sum, indicium est, me adhuc totum terræ & carni adfigi, neque DEUM solum esse, in quem cor meum feratur.

Fuerunt inter sanctos, qui hanc a DEO gratiam flagitabant, ut sibi opprobria, & contemptus imitterentur. Tantum erat illorum

rum desiderium ad vitæ christianæ perfectionem perveniendi.

Si non ita animatus sum, certo eo connitendum est, ut cum submissione ea excipiam opprobria, quæ DEUS in bonum meum immittat, quin pro illis supplex fiam.

Plus conferre queo ad gloriam & laudem DEI per contemptum cum ea, quæ divinæ voluntati debetur, submissione toleratum, quam per quæcumque sublimia dona.

Filius DEI ita se abjecit, ut Apostolo teste *exinaniret semetipsum*. (a) Vide ad quod exemplum te effingere debeas.

Abhorrere a contemptu & opprobriis non aliud foret, quam repudiare illam cum JESU similitudinem, ad quam ea nos extollunt.

Si DEUS frequentes mihi contemptus, & opprobria imittat, eo id fine facit, ut imago filii sui in me magis resplendeat,

Tanto cum gaudio, & tam grato animo oporteret me omne genus abjectionis & opprobrii amplecti, quanto veræ Christi crucis partem amplecterer.

(a) Phil. 2. 7.



CAPUT VIII.

Quomodo DEO offerre debeamus omne id, quod a nobis exigit.

Servus. Oblatio, quam matres DEO in templo suo exhibuerunt filiorum natu maximorum, non magno illis constitit. Verum oblatio, quam tu Virgo sancta! præstitisti filii tui JESU, tibi pretio stetit longe maximo.

Noveras, eum aliquando vitam pro salute hominum daturum esse; & jam tum illum DEO tanquam victimam obtulisti.

Vere enim hoc nomine tu eum æterno Patri obtulisti, ut ille se ipsum obtulit.

Tum erat initium omnium illorum dolorum, quos usque ad ultimum spiritum vitæ JESU perferendos habuisti.

Tum cœpit anima tua transfigi *doloris gladio* (a) de quo Simeon, JESUM ulnis suis gerens, mentionem faciebat.

Matres aliæ proles suas amant; sed non omnem illis amorem imperdunt. Quantum enim vanitati, quantum sibimetipsis tribuunt? Tu vero quantum distas? Tu JESUM amabas; tu toto eum corde amabas; tu nil aliud, quam eum amabas.

Hic

(a) Luc. 2. 36.

Hic erat filius tuus unicus. Tu vix cœpisti sentire gaudium matris, & quidem matris tanti filii, quum jam, *postquam impleti sunt dies purgationis*, (a) *tulisti illum in Jerusalem, ut sisteres eum Domino.*

O digna filia Abrahæ, & hæres fidei, tu naturæ sensum penitus oppressisti, ut audires vocem DEI, qui id a te petiit, quo nihil tibi charius in orbe fuit.

MARIA. Meo exemplo fili mi! esto constans & fortis, quando DEUS a te aliquid poscit, cujuscumque generis id sit.

Proh dolor! Illud sibi a me offerri voluit, quod jure mihi charissimum erat. Quid vero est, quod a te plerumque exigit? nempe quod alioqui te odisse oportet.

Si DEUM amas, animi fortitudo princeps esse debet nota amoris tui. Cor angustum, & contractum nescit, quid sit amorem opere probare.

Nihil velle molestum pro DEO suscipere, animo cadere objecta quavis difficultate, quæ superanda foret, anne amare est?

Verus amor elucet in doloribus, ac certaminibus. Animo imbecilli non bene convenit cum doctrina, & professione discipuli JESU.

Si

Si rem gratam Domino præstare velis, fac promte, quod faciendum est, & ne examina, quo tibi labore constet.

Mundus ab amatoribus suis res difficilimas postulat, & vel indicare sat est, ut illico, atque integre fiat, quod jubet. Solusne DEUS sit ille Dominus, cujus amore nihil agatur, nisi antea discutiatur, an non minus molestum accidat?

O fili mi! quam parum amatur DEUS, quando quis sibi ipsi terminos præscribit in exercitiis, quibus amor probandus est.

Piaculi instar foret mundo, qui quodam levitatis & pervicaciæ propriæ impetu regitur, & proprii commodi causa amat, cor tale offerre, quale plurimi Christiani DEO offerre non verentur.

Filius, qui non agit amore Patris, nisi quod expresse imperatum est; sponsa, cui curæ non est, sponso displicere, si quid labore constet, anne argumenta sinceri amoris exhibent? Cuinam talibus obsequiis satisfieri consuevit?

DEUS infinito quodam amore homines prosequitur; at simul Dominus Zelotes nomen ejus, DEUS est æmulator. (a)

Non id, quod petit, quodque meretur, obsequium præstatur DEO, si cor illi totum

tum non præbeatur. *Stetis perfecti & pleni in omni voluntate DEI*, (a) Apostolus monet.

Erubescere, qui tam remissus es in servitio DEI, erubescere, qui tam parum facis amore ejus, postquam omnia fecit amore tui.

At difficilia tibi acciderunt, quæ non raro a te exigit. O fili mi! adhuc alia a te exiget, quia necesse est promissa præmia promereri.

Fieri potest, ut a te fortunas tuas, tranquillitatem animi, bonum nomen, sanitatem, ipsamque vitam postulet. Si hæc eveniant, quid ages? Dic: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* (b)

Noli quomodocumque percelli. Quo magis te illi obtuleris, eo amplius a te petet. Sed id non fit, nisi ut majoribus favoribus in hac vita te cumulet, & occasionem tibi præbeat merendi, & consequendi ampliora præmia in cœlis.

(a) Coloss. 4. 12.

(b) 1. Reg. 3. 18.

CAPUT IX.

Quomodo comparati esse debeamus ad excipienda mala, quæ nobis impendent.

MARIA. Unde hæ lacrimæ, fili mi! quæ causa est suspiriorum, quæ immo ex pectore cœlum suspiciens ducis?

Servus. Heu me! Regina sanctorum! cœpi quadam tranquillitate frui, & repente novis tumultibus agitor.

Injustitia, calumnia, ingrati homines, velut impetu facto adversus me insurgunt. O chara Mater! præsidium tuum filio tuo ne denega.

MARIA. Tu versaris fili mi! in eo statu, qui quadam ratione accedit ad eum statum, in quo eram, quando in templo Simeonis oraculum intellexi.

Postquam DEI laudes, futuramque JESU gloriam celebrasset, mihi prædixit: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* (a) Quæis verbis, me dolorum, quos exhausturus erat Filius meus, participem fore ostendit.

Alio-

(a) Luc. 2. 34. 35.

Alioqui ex libris sanctis didiceram tormenta, quæ JESUM manerent. Abel morti traditus, Joseph venditus, David injuriis vexatus, agnus paschalis immolatus, erant totidem figuræ, quæ indicabant, quid JESU futurum esset.

Ah! quam animi acerbitatem ex hoc tormentorum spectaculo, quod constanter oculis meis obversabatur, omnibus diebus vitæ meæ persentiscebam?

Partem viscerum mihi abrumpere videbar, dum JESUM in sinu meo tenens mente agitavi, non aliter, ac mortem crudelissima genus humanum liberandum esse.

Quando videbam in templo agnum mactari, aut columbam immolari, hæc animum subiit cogitatio. Ita JESUS aliquando morti tradetur.

Servus. Penitus animo comprehendo, o Virgo Mater! quam flebilis fuerit vitæ tuæ conditio. Illustrissimo titulo te Ecclesia Reginam Martyrum adpellat.

Martyres gladio defectis cervicibus in mortem dati sunt. Alii feris bestiis objecti sunt; alii aqua, aut igne interierunt. At supplicia eorum plerumque cito fiebantur. Tuum autem supplicium triginta trium annorum spatio perduravit.

Toto hoc tempore animi vigore præstabas, & fortior eras omnibus etiam jun-

Etiam martyribus. Alacritate maxime heroica excipiebas novos indies cruciatus, quos DEUS tibi immiserat, & imprimis eos, qui aliquando in monte Calvariae exhauriendi erant.

Quam ego ab hac animi magnitudine absum. Vel adspectu & cogitatione imminentium malorum exanimor, & contremisco.

Si dolor quotidie recrudescerebat recordatione tormentorum a JESU perferendorum, tu contra generosior instaurabas illam voluntatem, qua te primum DEO in tem obtulisti.

Anima tua longe maximae tristitiae immerfa erat. Sed tranquillitas mentis persistebat. Voluntas tua maxima animi submissione voluntati divinae penitus consentiebat.

Et ego horrore concutior, quando nova quaedam molestia DEO permittente mihi obversatur. O utinam quietior, ac tranquillior forem! mens mea percellitur, cor meum dilaceratur.

MARIA. Audi fili mi! *Fidelis DEUS est, qui non patietur te tentari supra id, quod potes, (a) semper supernum auxilium dolorum vehementiae respondebit.*

Da locum gratiae, quae tibi adest. Morem gere divinis motibus. Quo plures
DEUS

(a) 1. Cor. 10. 13.

DEUS animæ immittit afflictiones, eo uberiora etiam adjumenta suppeditat eas sufferendi.

Molestiæ & incommoda sunt amplum quoddam DEI munus, quod homini confert; & incommodorum tolerantia, quam homo exercet, est gratissimum obsequium, quod DEO præstare potest.

Si afflictiones tibi obvenientes sint graves, certum habe, hoc esse DEI consilium, ut te ad magnam sanctitatem perducatur. An irrita reddere consilia DEI cupis?

Tuæ animi perturbationes, lamenta tua, minime afflictiones tuas de medio tollent. Quidquid agas, necesse est eas perferre. Quid igitur sapientis est?

Illud scilicet, ut te DEO, ejusque voluntati totum committas. Iterum dicito: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* (a)

Ita fiet, ut DEUS submissione tua motus, suisque stans promissis, tibi leviores, tolerabiliioresque, quam ipse credas, reddat adversitates omnes; adversitates inquam, quas eminus intuens cohorruisti, & gravissimas esse judicasti.

Ita est. Facilius perferes omnia, dicisque cum Apostolo: *Sicut abundant pas-*

siones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. (a)

Servus. Gratias tibi ago, o Augusta MARIA de monito hoc mihi suggesto. Reviviscit excusso languore spiritus meus,

Ah! tu es, quæ mihi impetrasti vires novas, quibus vigor animi redit ad procedendum etiam obviam quibusque afflictionibus, quas prius totus exhorruì.

Benedictus Dominus DEUS meus, qui magisterio Matris suæ divinæ docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum (b) in quo heu! sine hoc auxilio succumbendum foret.

(a) 2. Cor. 1. 5.

(b) Ps. 143. 1.



C A P U T X.

Quomodo anima se gerere debeat, & quos sensus concipere, quando DEUS eam modis, & viis ignotis deducit.

DEUS repente interprete Josepho, qui ab Angelo edoctus erat, MARLÆ significat, JESUM puerum furori Herodis subtrahendum, & in Ægyptum deportandum esse.

Mirum! An infinitæ DEI potentiaë modi non suppetunt cor Regis immutandi? quid? quod indignum est, DEUM sese iræ imbecillis hominis fuga subducere.

Nonne in DEI potestate est, prodigium plagarum, quibus Ægyptios percussit ad servandum populum suum iterum innovare ad JESUM e manibus crudelis principis eripiendum?

Ah! MARIA, utut sit, scrutari renuit consilia DEI in modo gubernandi, quem erga illam tenet.

Voluntas DEI perinde meretur submissionem nostram, sive rationem consiliorum DEI adsequamur, sive vim nostram intelligendi excedat.

An necessaria vitæ subsidia longo in itinere per vastas solitudines, an exteris in

terrīs, quo se conferre jubetur, suppetent?
Id **MARIAM** sollicitam non habet.

Idem **DEUS**, qui mandatum dedit iter ingrediendi, sat potens est, ut de necessariis prospicere queat, etsi illa modum ignoret.

An semper in *Ægypto* commorabitur? Neque in hoc indagat. Si **DEUS** revertendi tempus indicarit, nullas redeundi moras trahet.

Etsi **DEUS** alia adhuc imperaverit, quæ magis ab humana intelligentia sunt remota, illius anima nihil tranquillitatis suæ deperdet.

Et certe quid est, cur anima inquietetur, quæ cogitat, se a **DEO** gubernari? An protectio securior fingi potest, quam sit illa providentiæ divinæ?

Tu me jubes, o Domine! vias ingredi, quæ mihi penitus sunt ignotæ. Satis est, te jubere. Voluntas tua luminis, & rationis vices sustinet.

Nescio, quo vadam. At certus sum, si tam sapienti duci, ac tu es, me committam, me a recta semita aberraturum non esse.

Quamvis undique tenebris circumdatus sim, securus tamen incedo, quia certus sum, me a te numquam iri derelictum.

Ah! quid mihi prodest debile meum lumen in via, quam tu ipse mihi aperis, & quam cæca quadam obedientia me sequi jubes?

bes? Ut primum tu voluntatem tuam indicas, obsequi debeo, quin me ipsum audiam.

Penitus nos tradimus homini gubernandos, quem prudentem, & perspicacia præditum esse judicamus. Eritne, o Sapientia æterna, ut non omnem in te spem reponam, quando tu es, quæ me dirigis!

Providentia tua sæpe fines suos adsequi consuevit iis modis, qui contrarii esse videbantur.

Quare, licet tua circa me consilia plane recondita, & mira sint, ea venerari fixum est. In tua potestate est, facere, quod mea ratione comprehendere nequeo.

Quantumvis modus tuus gubernandi nos lateat, non minus tamen omni dignus est veneratione. Opera tua notam supremæ sapientiæ præseferunt, etsi arcani fines nobis minime patefiant.

Lubens propterea voluntati tuæ, etiam tum, quum causas nulla ratione pervideo, me totum committo ea submissione, qua veritatibus a te revelatis fidem adhibeo.

Quamvis has veritates non comprehendam, certior tamen sum, quam si eas oculis usurparem, quia tu es, o Domine, qui loqueris.

C A P U T XI.

De assidua cura providentiæ DEI erga
justos.

S*ervus.* Cum gaudio, o Virgo obediens! recolo æquabilitatem tuam, quam conservasti, tum iter in Ægyptum tibi suscipiendum fuit.

Persuasum tibi erat, DEUM, cujus ductui te totam credidisti, rebus tuis prospexiturum esse itineris tempore, neque te desertum iri, postquam ad terminum tibi ab eo præfixum pervenisses.

Et qui fieri poterat, ut oculus divinus non esset intentus in te, & in sacrum depositum, quod curæ tuæ demandatum erat.

Nihil, nihil omnino tibi metuendum erat, nihil a feris immanibus nocturno tempore grassantibus, nihil ab insidiis latronum, qui interdiu te invaderent.

Dominus est, qui Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. (a)

Dominus illis præcepit, ut arceant malum omne a te, & si necesse sit, in manibus portent te.

Etsi terra, per quam tibi transeundum erat, perniciosis animantibus scateret, su-
per

(a) Ps. 90. 11. seq.

per aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

MARIA. Fili mi! Dominus multis locis scripturæ sanctæ promisit, se curam eorum habiturum esse, qui omnem suam fiduciam in illo reponerent.

Ne turberis umquam ingruentibus adversis casibus, licet ex **DEI** voluntate ea tibi imponuntur, quæ exequi difficillimum accidit. Spera in **DEO**. Ille erit protector, & adiutor tuus.

Si obedientia voluntati ejus præstita te periculo summæ egestatis exponat, cogita: Salus autem iustorum a Domino, & liberabit te, & eruet a peccatoribus, & salvabit, quia sperasti in eo. (a)

Fiducia, quam iusti in **DEO** collocant, est pignus certissimum divinæ protectionis. Si videatur aliquo tempore suum tibi auxilium subtrahere, jacta super Dominum curam tuam — non dabit in æternum fluctuationem iusto. (b)

Habitatores Bethuliæ jam nihil sibi opis adfore a **DEO** patrum suorum rebantur, & eo ipso temporis articulo magis, ac umquam alias iis providentia sua consuluit, & auxilium circumspexit.

Ca-

(a) Ps. 85. 36. 39. seq.

(b) Ps. 54. 23.

Castum Josephum providentia oblivioni non dedit. In obscurum carcerem conjectus erat; gemebat vinculis constrictus. At repente inde extractus fuit, ut ad honoris culmen eveheretur, & regiæ auctoritatis particeps fieret.

Interim tamen providentia non semper justos ab omni timore, & periculo liberat; neque semper eorum necessitatibus eo modo subvenit, quo ipsi sibi subveniri seu desiderant, seu precibus suis flagitant.

Nihilominus divina agendi ratio omni digna est admiratione, sive justos ex miseriis suis educat, sive eos esse miseros patiatur; perinde etiam, sive eos ex manibus iniquorum cruat, sive prædam suorum hostium fieri sinat.

Tum illis **DEUS** gratiam patientiæ in calamitatibus eorum largitur, & hanc illis largiendo majore eos favore prosequitur, quam si omnibus illos prosperitatibus cummularet.

O quot sunt vere christiani nominis, qui pene omnibus vitæ subsidiis destituuntur, & ita agunt, quasi re nulla egerent! Tantopere in suo statu adquiescunt. Laudant illi providentiam Numinis, & gratias agunt, neque sortem suam cum iis, qui mundi bonis adfluunt, commutarent.

Idcirco in omnibus necessitatibus ad Dominum confuge. Spem tuam in illo colloca. Auxilium, quod consequeris, si non sit semper manifestum, & singulare, erit tamen non minus verum, & solatio plenum.

C A P U T XII.

Nullus status est, nulla vitæ conditio, in qua DEO quis servire nequeat, simul ac DEUS nos in ea esse velit.

MARIA. Quæ sunt hæ querimoniæ de statu & vitæ conditione, in qua versaris? Ais, te non posse DEO, prout par est, servire?

Quid istud? Cœlum repletum est sanctis, qui ad sanctitatem pervenerunt in simili statu, in pari vitæ conditione.

Quum in Ægypto DEI nutu versarer, DEUM ibi perinde, ac in Judæa inveni, eique eadem ratione servire studui.

Modo quis ubique locorum DEI gratiam, & amicitiam conservet, ubicumque contentus vivere poterit.

Sane permolestum mihi, uti & sponso meo Josepho accidere debuerat, terram Israel relinquere. Nullum tamen doloris signum edidimus.

Quan-

Quando autem rursus revocati fuimus, non aliud inde solatium percepimus, quam quod adfert voluntas DEI, cui obtemperatur. Hæc enim erat unica regula nostrarum actionum.

Si nil aliud quæras fili mi! quam ad DEI voluntatem te conformare, & propriam tuam voluntatem eruerе, semper contentus eris statu, & vitæ ratione, in qua te DEUS collocavit, neque aliud vitæ genus desiderabis.

DEUS cuique suam præfixit viam, quam sequi debeat, ut ad vitæ sanctitatem perveniat. Non sibi consuleret, qui aliam ingrediendo viam ad christianam perfectionem se tendere existimaret.

Sine gratiæ divinæ auxilio nemo sanctus evadere potest. DEUS autem singulis gratias suas impertitur ea ratione, qua necessariae & oportunæ sunt ad id vitæ genus, in quo eos esse vult, & ad eas functiones, quibus eos addictos cupit.

Qui vitam solitariam agit, desiderio mundi, cui nuncium misit, adfici non debet. Qui mundi negotiis implicatus est, dicere non debet, se salvum esse non posse. Pro hoc & illo is status est securissimus, in quo DEI voluntate versatur. Quocumque in statu verferis, salus tua a fervore pendet, quo gratiæ respondes.

Joan-

Joannes Baptista ad ripam Jordani, ubi DEUS cum commorari voluit, vitæ sanctitatem adsecutus est. Nec inde discedere meditabatur. Genus vitæ Apostolorum, qui JESUM sequebantur, ejusque doctrinam excipiebant, non illi magis accommodata ad morum sanctimoniam videbatur.

Ne crede vitæ tuæ conditionem ex se sanctitati officere. Non locus, non officium hominem sanctum efficit. Hominis est his ad sanctitatem obtinendam uti.

Sæpenumero non amor propriæ salutis, sed inquietus animus facit, ut in alio vitæ statu, in quo sumus, esse velimus.

Quis ex mutatione status fructus tibi proveniret? Meliorne evaderes? Per mutationem loci, & vitæ status non indoles, non ingenium mutatur.

Ubique sua quisque vitia circumfert. Tu ipse es fili mi! qui mutari, & alius esse debes, non vitæ status, non officium tuum.

Sanctas effice omnes status tui occupationes, referendo eas ad gloriam DEI, & non amplius conquereris, te illis a vitæ sanctitate impediri.

Multitudo negotiorum, quibus in gubernatione ampli regni distinebatur, Davidem non prohibebat, quo minus pietatis exercitiis vacaret. *Septies, inquit, in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.*
Tan-

Tantum aberat, ut multa & gravia negotia sanctos avocarent a vitæ sanctimonia, ut etiam ipsa morum sanctitas eos ad officia sua implenda magis idoneos redderet.

Sanctitas vitæ non consistit in eo, ut serviamus DEO, ubi volumus, & quomodo nos volumus, sed ubi vult, & quomodo vult DEUS.

Magis conferes ad gloriam DEI, morborum vi lecto adfixus, si hæc est voluntas Domini, quam si in lucrandis DEO animabus strenue desudares.

C A P U T XIII.

De fervore in obsequio DEI.

Servus Virgo sancta! Tu in omnibus actionibus vitæ tuæ, quantum mihi cognitæ sunt, præclara mihi præbes exempla fervoris, & incredibilis pietatis.

Ex studio placendi DEO, & fervore pietatis ibas *per omnes in annos Jerusalem in die solemni Paschæ.* (a)

Etsi lege Jerosolymam adeundi, & agendi diem hunc solemnem, tantummodo Josephus sponsus tuus adstringebatur, (b) tu tamen te illi comitem adjungere nunquam intermittebas.

Tuus

(a) Luc. 2. 41.

(b) Ex. 23. 15. seq.

Tuus erga DEUM amor tam ardens erat, ut se finibus concludi non sineret, & ut id modo præstares, quod sine legis violatione, & crimine omitti non poterat.

Heu me ingratum! quam alius hactenus erga DEUM fui!

Et si multis magnisque beneficiis DEO obstrictus essem, parcum tamen & restrictum me exhibui. Auctoritate supremi Domini opus fuit, ut debita sibi obsequia a me impetraret, & ut legi ejus obtemperarem.

MARIA. Fili mi! cor ardens DEI amore nihil eorum negligit, queis gratiam illius inire queat.

Ignoras, quis sit Dominus, cui servis, si tibi parcas, quum de ejus obsequio agitur.

Confidera, quid pro mundo agant, qui ejus partes sequuntur, & disce ab eis, quid pro DEO agere debeas.

Certatim omnes circumcursant, infinitas molestias suscipiunt, nec ulli operæ parcunt, ut mundo satisfaciant. Illi placendi studio miserrimam serviunt servitutem.

Verum DEO placere, & amoris tui argumenta supremo huic Domino frequenter præbere, id vim nimiam infert. Ut acri, intentoque animo sis in iis, quæ ad DEUM pertinent, id vel petere si quis vellet, onus tibi gravissimum imponi quereretur.

An non cor tuum contundere debet profanorum hominum exemplum, quod tibi proponere necesse est, ut ex eorum disciplina erudiaris, quo fervore DEO serviendum sit.

Ah! noli vinci promptitudine serviendi a filiis tenebrarum. Noli committere, ut mundus gloriatur, se ab amatoribus suis majore contentione coli, quam DEUS ab iis colatur, qui christiani nominis professione se illi consecrarunt.

Non esto deinceps e numero eorum christianorum, qui credunt se officiis pietatis omnino satisfacere, si ea solum exsequantur, quæ intentatis poenis lege divina præcipiuntur.

Quis non judicet tales ita constitutos esse, ut gratiæ jacturam facere, & legem transgredi nihil pensi habeant, modo id iis impune abiret. Tales certe DEUM timent potius, quam ament.

Time, fili mi! DEUM vindicem justissimum. *Terribile est, & sanctum nomen ejus.* (a) supra omnia autem time, ne minus ames tam bonum DEUM, qui est *magnus Dominus, & laudabilis nimis.* (b)

An

(a) Ps. 89. 3.

(b) Ps. 144. 3.

An firmi & ferventis amici loco is te haberet, cui ea modo præstares, quæ necessaria sunt, ne amicitiae vinculum penitus abrumpatur.

Amor est magnanimus. Non debitis alioqui obsequiis circumscribi se finit. Qui vere amat, omnes amico placendi occasiones arripit.

Si ferventi DEUM amore prosequeris, omne id, quod DEI amore agis, parum tibi videretur, & plura agere desiderares.

Ama ferventer; & amor levia reddet omnia. Solet DEUS animam ferventem ea animi voluptate perfundere, ut ibi majores delicias experiatur, ubi plus est laboris, & molestiarum.

Servus. O Mater mea tenerrima! impetra filio tuo fervorem, quem verbis tuis, & exemplis singularibus doces.

Quod probro mihi est, & ejus me pudet, ipse confiteor, minima me difficultate retardari. Primus impetus tædii, & fastidii me a fervore avocat. Sæpe etiam respectus humanus eam in me vim habet, ut ab iis exsequendis, ad quæ me gratia divina excitat, abstrahi me sinam.

Tu vides, quam deficiam, quamque necessarium mihi sit fervoris donum. O utinam! doctrina tua, & exemplum cor meum tam ferventi amore accendant, ut DEO ser-

viam, quantum ut sibi serviatur, meretur
DEUS, qui charitas est. (a)

C A P U T XIV.

Quantum infortunium sit JESUM
perdere.

JESUS duodecimum ætatis annum attigit,
quando MARIA, & Joseph se contu-
lerunt Jerosolymam *secundum consuetudinem*
diei festi (b) solemnitatis Paschæ, & JE-
SUS sese comitem adjunxit.

Solemnitate peracta MARIA & Joseph
iter Nazarethum relexerunt. JESUS solus
iis insciis *remansit in Jerusalem* (c) Jam diei
iter confecerant, ubi eum abesse adverterunt.

Quam gravis hæc absentia illis accide-
re debuit? quam ægre imprimis MARIA
hanc jacturam tulisse censenda est?

Verum culpa omni vacabat MARIA!
quum te, Servator mi! amisit. Tu illius
te oculis subduxisti; *quia in his, quæ pa-*
tris tui erant, oportebat te esse. (d)

Ego

(a) Joan. 4. 8.

(b) Luc. 2. 42.

(c) Luc. 2. 43.

(d) Luc. 2. 49.

Ego, ego sum infelix ille, qui toties te culpa propria per vitam sceleratam perdidi. Ego sum, qui toties te a me recedere coegi. An umquam infortunium hujus jacturæ & recessus satis comprehendere queo?

MARIA solum adspectu JESU privata est, semperque ejus amicitia fruita fuit. At ego, ego inquam, id omne perdidi, quod in vita charissimum esse debet, gratiam nempe, & amicitiam JESU.

An mundus & omnia fluxa illius gaudia, quorum amorem amoris JESU præhabui, jacturam, quam feci, ulla ratione reparare possunt?

O felices ii, a quibus JESUS numquam recessit, qui semper gratiam JESU conservarunt! Hi soli norunt, & dicere queunt, quid sit Paradiso in terris frui.

Esse cum JESU, o dulcis societas! o admirabile consortium! o tenera amicitia! o gaudium divinum!

At videre se a JESU disjunctum, o horribilis solitudo! o nox obscura! o extrema indigentia! o infernus anticipatus!

Ah! qui JESUM perdidit, si calamitatem suam agnosceret, ad eum recipiendum omnes divitias, omnes honores, omnes voluptates vitæ lubens offerret.

Deflemus jacturam rei terrenæ, & consolationem non admittimus. Et jacturam, quam incurrimus, gratiæ DEI non deploramus, ac sensu omni caremus. An forte acerbior jactura pro Christi cultore cogitari potest?

Minime profecto, Nihilominus, quum nemo hominum aliquod bonum sine dolore amittat, tu solus es, o DEUS meus, bonum supremum, & infinitum, cujus jactura homines tam parum adficiuntur. O exigua tui cognitio! o excites!

Sponsane, nisi sensu omni destituatur, tranquilla esse poterit, quando sponsum multo tenerrimum amisit?

An filius, nisi maxime degener, non lugebit, si optimus illi pater eripiatur?

O *Pater misericordiarum*! tuam filio tuo gratiam restitue. O sponse divine animarum nostrarum, redde animæ meæ amorem tuum.

Commoveri te sine lacrymis, quæ mihi oboriuntur. Ah! sentio jacturam, quam feci. Effusæ oculis lacrimæ os totum opplent.

Me ipsum exhorresco, quando cogito, mea me culpa excidisse amicitia tua, tua inquam, qui tot tantaque mihi dedisti argumenta tui erga me amoris; qui esse mecum delicias tuas reputasti.

Qua-

Quare cor meum tam angustum est, ut non satis ingratum meum agendi modum detestari queam? Sed quid ajo? Omnia corda hominum simul juncta non possent tale concipere odium iniquitatum mearum, quantum meretur malitia, qua te summum bonum meum offendi.

Licet vero ingratiſſimus ſim omnium, maxima tamen ſimul eſt miſericordia tua, quam imploro. Illa ſupplebit, quod mihi deeſt, & quod ipſe habere vellem, ut ſerio de admiſſis a me criminibus dolerem.

Vellem dolorem meum reſpondere lumen illi fidei, quod me docet, peccatum infinito quodam odio execrandum eſſe, quem admodum contra docet, amorem, quem tibi debeo, ratione bonitatis tuæ debere eſſe infinitum.

Ah! ſentio totum pondus iniquitatis meæ; ſed id minus ſentirem, ſi minore bonitate præditus eſſes.

Attamen ingratus animus meus tuæ patientiæ modum ſtatuerere non potuit. Tu maximam erga me indulgentiam adhibuiſti, quam numquam ſatis ſuſpicere, numquam ſat gratus agnoſcere poſſum.

In ſtatu illo miſerrimo peccati, in quo eram in conſpectu tuo, quæ alia mihi ſpes ſuperfuit, niſi tua ipſius bonitas? O JESU, Servator mi! dum in tuam me gratiam rur-

sus recipis, fac, ut in ea tantum proficiam, quantum profici potest.

Scio me pœnas justitiæ tuæ gravissimas meritum esse. Ah! castiga me rebellem; sed locum, quo fruebar, in corde tuo iterum concede.

Aufer a me (neque enim invitus sum) quidquid mundo me adfigere potest, bona fortunæ, honores, famam, favorem, & amicitiam hominum; at ne permitte unquam, ut rursus in eam miseriam incidam, & te perdam.

O utinam imposterum fidelitate mea, & tui amore tempus redimam, quo vixi a te avulsus!

O JESU! pro tua bonitate aditum mihi ad te concede. Cor tuum semper mite est, & misericors, semperque patet ad errantes recipiendos.

Ad hoc cor tuum confugere audeo. O utinam numquam inde divellar, sed in omnem æternitatem ei totus immergar!

C A P U T XV.

Quomodo & ubi JESUS quærendus sit, postquam quis per infortunium eum amisit.

Vix absentem esse JESUM MARIA advertit, quum illico summa cum sollicitudine in viam se dedit, ut eum quæreret, primum quidem inter agnatos; tum Jerosolymis, ubi eum invenit.

Tantum erat gaudium, quod ex adspectu tanti filii, tamque dilecti hausit, quanta erat inquietudo, qua ob ejus absentiam angebatur.

Tu, o anima mea! culpa tua JESUM perdidisti. Imitare sollicitudinem hujus teneræ matris. Ejus exemplo relinque omnia, ut eum invenias.

Converte te ad res creatas omnes, ad cœlum, & terram, ad lucem diei, & tenebras noctis Pœnitentia, & lacrymis eum tibi reddi postula.

Accidit, ut sæpe JESUS quærat, & non inveniatur, quia non quæritur, ut oportet. Modus enim, quo ab aliquibus quæritur, indicat, eos ægre laturos esse, si JESUM invenirent.

Promptitudo tua JESUM quærendi, & sollicitudo eum inveniendi talis sit, ut dolorem de illo amisso testetur.

Verum ubi eum invenies? an inter mundi oblectamenta? At JESUS se mundo contrarium ipse declarat.

Non tibi pollicere, fore, ut caro & sanguis in eo reperiendo se tibi adiutores præbeant. MARIA quærebat eum inter cognatos, & notos, & non invenit. (a)

Contule oracula Evangelii. Interroga Sanctos. Adi sacerdotes ministros Domini. Illi tibi dicent, ubi eum reperias.

Ibi JESUS est, ubi MARIA eum invenit. *In templo*, in domo Domini, & precum, inter exercitia religionis, *in medio doctorum*.

Etiam in solitudine eum invenies, & imprimis in solitudine, quæ cordis est, id est, silentibus cupiditatum tumultibus, & in animi collectione.

Eo te ipse invitat per Oseam, (b) ut audias vocem ejus, & excipias verba vitæ, quæ egredientur ex ore ejus.

Ibi

(a) Luc. 2. 44.

(b) Os. 2. 14.

Ibi eum quæsierunt, & quærunt etiamnum omnes ii, qui sincere ad illum redire volunt; sive ab eo aberrarint per vitam sceleratam, sive eum quasi ex oculis suis dimiserint, vel per remissionem disciplinæ, vel per voluntarias animi evagationes.

O anima mea! ubi eum inveneris, qua animi voluptate perfunderis! fierine potest, ut tranquille vivat, a quo JESUS recesserit?

Qui invenit JESUM, confestim experientia teste intelligit, quantamcumque in recuperando hoc thesauro sibi vim intulerit, omnis operæ suæ pretium se fecisse.



CAPUT XVI.

Quomodo se gerere debeat, qui JESUM denuo invenit.

Servus. Invenisti ergo iterum, o MARIA! JESUM tuum, & tecum in Nazareth deduxisti. Quæ hæc tua est felicitas! Ipsi Angeli quodammodo invidia tanguntur.

Quanta jam matris solertia, tale, tantumque depositum custodire satages? quam tua illius cura, ejusque vitæ accrescet?

MARIA. Fili mi! grandis profecto felicitas est JESUM invenisse. Nihil non agendum est, ne ejus amittendi periculum adeatur.

Servus. O Virgo sancta! pro tua bonitate tu ipsa me doce, quid agere debeam, ne summo hoc bono umquam amplius destituar.

MARIA. Fili mi! in te ipsum descende, & diligenter investiga, qui factum sit, ut JESUS a te recederet, & quibus viis eo aberraris, ut gratiam illius perderes, eumque inimicum tuum haberes.

Nonne sensim tepor quidam in ejus obsequio irrepsit? Nonne innumeris te negligentis obstrinxisti, quæ ejus erga te amicitiam imminuerunt?

Fit enim per frequentem incuriam, & neglectum, ut homines pededentim quasi inscii se inter, & JESUM veluti murum interficiant.

Annon accidit, ut foveres intra te periculosam quamdam cupiditatem, nedum ut illam illico seprimeres, ubi advertisti igniculos succendi, & prava desideria exoriri?

An non sanctis instinctibus restitisti, quæ te DEUS a certis occasionibus, & nimio hominum amore avocare voluit?

Quando DEUS hoc modo repulsam fert ab homine, fit, ut specialem suam providentiam illi subtrahat, quæ salvum & incolumem deducit per omnia pericula, & ne in funestos errores incidat, impedit.

Si damno tuo agnoscis, ejusmodi causam, aut aliam subesse, quæ te a JESU abstraxit, radicem mali indaga. Tollitur malum sublata radice mali.

Sume fervorem, & vigilantior esto. *Omni custodia serva cor tuum.* (a) Vide, ut probe munitum sit.

Omnis aditus ad cor periculo non vacat. A custodia cordis ipsa adeo vita animæ, ejusque conservatio dependet.

Ha-

(a) Prov. 4. 23.

Habe curam rerum minimarum, ne earum neglectu in gravia errata incurras. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* (a)

JESUS cor divisum non fert. Pro se totum & integre formavit. Totum & integre illud possidere desiderat.

Leviore culpæ, quarum rationem non ducis, fili mi! quasque tam multi in DEI obsequio torpentes adeo facile committunt, te paulatim a JESU abstrahunt, & illum a te pariter divellunt.

Non quidem amicitiam illius penitus abrumpunt, sed eo veluti viam sternunt. Sunt enim manifesta languoris signa, & languor hic diminuit numerum gratiarum.

Fidelitas conservat tenerum commercium, quod inter cor JESU, & cor justī intercedit.

Serva, quam dedisti fidem, erga JESUM, ut eam tibi ab illo servari cupis. Si desideras, ut divitias charitatis suæ in te effundat, tu pariter in eum cor tuum effunde secundum totam amplitudinem suam.

Angusti & restricti cordis est erga eum se parcum exhibere. Quidquid adfectionis cuicumque rei tribuitur, fidem illi suspectam reddit.

Quod-

(a) Eccl. 19. 1.

Quodvis verbum ab amico prolatum aridet, & bene excipitur. Tu eodem animo, & modo illustrationibus JESU attentum, & fidelem te præbe; si per gratiam suam tibi suggerat rationem aut evitandi peccatum, aut in virtute accessiones faciendi.

Servus. O Virgo, quæ penitus compertum habuisti, quid sit amare JESUM, eique fidem servare, in te confido, fore, ut gratia ejus adjutus, quam tu mihi pro bonitate tua obtinebis, fructum ex tua doctrina hauriam.

Verum patere, o Virgo sancta! ut, quæ animum mordet, sollicitudinem tibi exponam. Quum proh dolor! tam sim imbecillis, an non erit, ut rursus infelicem subeam sortem JESUM perdendi & forte æternum perdendi?

MARIA. Fili mi! par est te sollicitum esse, & nisi salutari hoc timore adfectus esses, ipsa ego hunc in te timorem excitare vellem.

Absit tamen, ut sollicitudo tua cum perturbationibus & angoribus sit conjuncta; immo vero omnis metus per fiduciam in DEUM dilui debet.

Quod tuum est, nihil prætermitte, quominus in amore JESU perseveres, & præstolare ab ejus bonitate gratiam perseverandi.


Servus. A Mater tenerrima! quam molesta accidit sollicitudo ista animæ, quæ nihil tam timet, quam ne perseveret, & quam DEUS ignorare patitur, an sit perseveratura.

MARIA. Hæc cura, fili mi! sollicitat omnes eos, qui adhuc in vivis degunt. Ita DEUS voluit, ne ad scopulum temerariæ fidentiae offendas.

Id efficere cura ista debet, ut submisso sis animo, ut tibi ipsi diffidas, *ut cum metu & tremore salutem tuam opereris.* (a)

Cœlum modo est tutus ab omni timore locus. Cœlum modo securitatem fruendi JESU perpetuam præstare potest.

(a) Phil. 2. 12.



C A P U T XVII.

Anima fidelis animo cadere non debet in internis derelictionibus, & tædiis, quando JESUS se illi subtrahere videtur.

DEUS nonnunquam erga justos cum modum tenet, qui eos pavore replet, ac perturbat. Nempe constantiam periclitaturus, aliquo tempore se veluti conspectui eorum subducit.

Ita JESUS erga sanctam suam Matrem se habuit. Novit, quam sollicitudinem ei allatura esset absentia filii. Nihilo minus aliquo tempore se subtraxit, & illa inscia in templo permansit.

O anima christiana! si simili ratione tui erga te amoris periculum facere DEUS velit, *viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Erit, ut iterum ad te invisat, *expecta Dominum patienter.* (a)

Quamvis semper adsit tibi auxilio, quando supplex illud imploras, non abs re tamen est, si quandoque a te abesse videatur, ut intelligas, quam misera foret tua conditio, si penitus gratia illius excideres.

L

Quan-

(a) Pl. 26. 14.

Quando animam suis DEUS consolationibus dignatur, id fit ad robur illi addendum in afflictionibus suis. Quando postea finit eam tædiis adfici, & angoribus premi, eo consilio facit, ut ne ob favores divinos sese insolentius efferat.

Omnes amici ejus, aut fere omnes experti sunt has vicissitudines gaudii, & tristitiæ, fervoris, & fastidii, pacis & tentationum.

Quando JESUS se ab eis alienare videbatur, eosque veluti sibi ipsis relinquere, infirmitatem suam luculenter agnoscebant; sed propterea animum non abjecerunt, quia noverant, licet internæ consolationes deessent, auxilium tamen divinum quam certissime præsto esse.

Noverant etiam, DEUM prævidisse mala, quibus adficerentur, &, quod sequitur, malorum remedia comparasse ad utilitatem inde percipiendam.

Quando DEI gratia te sustentat, & animum interna dulcedine, & consolationibus demulcet, cum gaudio, & facilitate viam virtutis ingrederis; noli tamen putare, te tum plus viæ confecisse.

Multo magis in virtutis semita spatium emensus es, dum angustias & afflictiones internas, quas DEUS immittit, cum patientia, humilitate, & subjectione pertulisti.

Magnam quidem hic status derelictionis tristitiam adfert, quia ea semper infidet opinio, non tam fidelitatis nostræ periculum fieri, quam pœnam infligi.

Interea, o anima christiana! quando in hoc statu versaris, ne spem perde, sed confide semper, confide firmiter, fore, ut mox dilectum tuum revisas, & æque amabilem, ac antea revisas. Confide etiam, hoc experimentum non diu duraturum esse, quemadmodum MARIA brevi iterum adspectu filii recreata fuit.

Imitare tum curam & diligentiam divinæ hujus Matris in filio suo investigando. Inquire eum hac duce sancto cum desiderio, & sancta cum aviditate ei obviam progredere.

Sed omni abstinere murmure, & querela. Nihil tibi JESUS debet. Quodsi questus tibi oboriatur, exemplo MARIÆ sit questus amoris.

Fili! aiebat, quid fecisti nobis sic? dolentes quærebat te. (a)

Similiter & tu dicito: o JESU mi! cur pateris cor meum tantis angoribus lacerari? Tu scis, quam tua me absentia torqueat.

Anne ego negligentis meis causa existi, cur tam longe recederes a me?

L 2

Si

(a) Luc. 2. 48.

Si mea agendi ratio tibi displicuit, & culpa mea hæc derelictio accidit, ah! parce mihi o Domine! Posthac nervos omnes contendam, ut id omne fugiam, quod tibi ingratum esse potest.

Verum quæcumque tandem sit ratio tuorum circa me consiliorum, totum me tibi subjicio. Quascumque velis, & quamcumque etiam diuturnas mihi immitte animi afflictiones. Unicum est, quod peto, ut semper gratiam tuam, & tui amorem in toto corde meo conservem.

C A P U T XVIII.

De vita privata.

Servus. O Virgo sancta! pande pro tua clementia mysterium vitæ illius obscuræ & privatæ, quam duxisti in Nazareth. Si publicam in lucem exiisses, multorum certe corda in JESUM, amoremque ejus convertere poteras.

MARIA. Fili mi! in eo gloriam meam omnem reponebam, ut JESUM ipsum imitarer, qui esse voluit longo vitæ suæ tempore *DEUS absconditus* (a)

Qui

(a) If. 45. 15.

Qui in mundum venit, ut doceret homines pompam fugere, & submisse agere, per vitam suam privatam in Nazareth prius exemplum præbuit, quam publice doctrinam suam proponeret.

Pater cœlestis voluit per vitam JESU obscuram laudari; & JESUS abditam hanc vitam prætulit mirabilibus operibus, quæ patrare poterat.

Inde discimus, perfectionem & meritum, quod ad magnam hominum partem attinet, non consistere in grandibus facinoribus pro DEO susceptis; sed in communibus operibus secundum voluntatem divinam peractis, in labore manuum, in officiis vilibus, & judicio mundi abjectis.

JESUS latens in Nazareth falsam hominibus opinionem eximere voluit, quam non raro de vitæ sanctitate concipiunt, dum eam solum ex splendidis virtutibus metiuntur.

Maxime autem redarguit illum ardorem mentis ad gloriam, quo plurimi sese ostentare cupiunt, illudque desiderium, quo in nominis famam, plausus hominum, & honorum gradus feruntur.

Fili mi! ama obscurus, & oblivioni traditus esse, Modo sis DEO cognitus, & gratus, quid interest mundo placere? mundus præterit, & omnia cum eo prætereunt.

Ego in Nazareth JESUM possidebam; ejus amore fruebar; in meo ille amore adquiescebat. Num ad felicitatem adhuc quidquam desiderari potest?

Angustum loci spatium, in quo penitus ignotus degas, sola Christi in crucem suffixi effigie instructus, tibi videri deberet omnibus Regum palatiis præferendum.

Ibi inveires fontem lacrymarum poenitentiae, quo indies magis, magisque ab iniquitatibus tuis perpurgeris.

Ibi familiarius semper JESU servatori conjungereris, & in ejus amore æternæ felicitatis delicias prægustares.

Vita solitaria tibi tristis esse videtur, quia numquam ejus suavitates delibasti.

Si eas experiri cœpisses, honores, & oblectamenta mundi scires esse vana & caduca bona; magisque vanum adhuc esse hominum genus, quod ea adpetit.

In confesso quidem est, in tali vivendi ratione non abesse irrisiones hominum, qui delectamenta sua contemni mirantur; verum ex his irrisionibus is fructus exsistit, ut magis & ardentius JESU servatori nostro adhæreamus, quem unice quærimus, & amamus.

Pauci sunt homines, fili mi! qui tranquille vivant; pauci, qui spirituales, & interiorem vitam colant; quia pauci sunt, qui se a mun-

mundi tumultibus abstrahere, & soli cum JESU versari velint.

Sunt etiam quidam, qui virtutem profitentur, apud quos tamen vera ac solida pietas deficit. Causa hæc est, quod nimis ad exteriora se effundunt, & se ipsos producere ambiunt.

Vita eorum spiritualis fere intra verba consistit. Nempe facilius est de virtute loqui, quam eam exercere.

Gratia non diu commoratur in anima, quæ aut evagationibus indulget, aut aliorum potius gratiam, quam cœlestis sponsi sibi conciliare studet.

Postula a JESU, ut illud tibi lumen impertiatur, quo collustrati sancti homines felicitatem vitæ solitariæ perspexerunt. Est inter illos, de quibus dicitur: *Vita vestra est abscondita cum Christo in DEO.* (a)

(a) Coloss. 3. 3.



CAPUT XIX.

De vita interiore.

MARIÆ speciatim convenit testimonium illud divini spiritus: *Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus.* (a)

Quod de exterioribus ejus actionibus nobis constat, ne conferri quidem cum iis potest, quæ in ejus anima agebantur.

Propone tibi ob oculos hanc Virginem Matrem in domo Nazareth. Scrutare vitam ejus interiorem; meditare eam diligenter.

Verum quis adsequetur illius adfectiones, sensus, desideria? quis verbis exprimet, quod in angusto, & sacrato hoc adyto divinitatis delitescibat?

Tu solus, o DEUS meus! omnes facultates animæ ejus in te convertebas. Tu solus eras principium & finis omnium ejus actionum.

Tu sine intermissione ejus menti præsens eras. In omnibus creatis rebus illa te intuebatur. Nihil eam a te divellere poterat, quia tu illi eras DEUS, & omnia in omnibus.

Judicia ejus ad præscriptum æternæ tuæ sapientiæ conformabantur; omnes illius actiones secundum tuam voluntatem exercebantur; congressus omnes tuo amore animabantur.

Pro-

(a) Ps. 44. 14.

Procul a profano consortio MARIA vacabat DEO, & curis domesticis ea mentis libertate, qua perfruuntur animæ, quæ nullis finibus, nullis cogitationibus mere humanis inquinantur.

Etsi per specialem gratiam omnes motus animi illi subjicerentur, attentione tamen incredibili omnibus externis rebus aditum omnem intercludebat.

Religioni sibi duxisset fovere adfectionem quamlibet, intentionem, desiderium, quod non tetendisset in DEUM, & ad ejus gloriam relatum fuisset.

In hoc veluti speculo imago interioris vitæ expressa cernitur. Summa scilicet in eo consistit, ut quis invigilet sibi ipsi; cordi suo, ne ulla sit animi adfectio, quæ in DEUM non feratur; menti suæ, ne quidquam sit, quod cogitationes a DEO abstrahat.

Hæc vigilantia oculi instar, in res quasvis intenti, se habet, quæ discernit motus naturæ, ut eos reprimat, & motus gratiæ, ut iis respondeat.

Per hanc vigilantiam ea obtinetur gratia, ea animi fortitudo, ut nihil ex humanis rationibus agatur, & omnes fines mere naturales rejiciantur.

Sine hac vigilantia non rari committuntur errores, & gravia detrimenta incurruntur; ubi vero vigilantia adest, quin externa

agendi ratio quidpiam insolitum præferat, frequenter & maximi meriti virtutum actiones exercentur.

Quot sancti homines solitariam vitam colentes, quot sanctæ virgines in primos beatorum ordines referri meruerunt, solis suffragantibus meritis vitæ interioris.

Tibi pax & gaudium in Spiritu sancto
(a) non obtinget, nisi interiori vitæ studeas.

Homo interior semper sibi constat, quia sibi ipsi invigilat, ut effugiat vitiorum compedes, quibus anima stringitur; & captiva tenetur; cordis tranquillitatem jugiter retinet, ita, ut nec eventibus perturbetur, qui animum fortem labefactare solent.

Contra homo exterior mille frivolis curis, indignis humana attentione implicatur, angitur, agitur; atque ita quietem animi, & tranquillitatem amittit.

Homo interior non aliam agnoscit sapientiam, quam illam, quæ est secundum DEUM, & quæ detegendo vanitatem rerum terrenarum, ejus cogitationes & desideria ad rerum cœlestium contemplationem evehit.

At homo exterior solum consulit prudentiam carnis. Id omne, quod illi officere videtur, hebeti, & pingui ingenio tribuit, aut etiam insaniam vocat.

Alter

(1) Rom. 14. 17.

Alter continenter suis invigilat sensibus, ne deludatur, & in errorem inducatur; alter sensibus indulget, & secundum eos tum judicat, tum agit, eoque omnia dirigit.

Tuæ sint deliciæ cogitare de DEO; quærere DEUM in omnibus, cuncta ad DEUM referre; & experieris veritatem ejus effati: *Regnum DEI intra vos est.* (a)

Ita eris in numero eorum, de quibus JESUS loquitur: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* (b)

Quid causæ est, cur tam multi homines dies suos semper in perturbationibus, semper in lamentis transigant? Non alia profecto, quam quod vitam penitus exteriorem ducunt. Tota eorum cura est id, quod terrenum est.

Multi etiam, quum videntur suo modo vivendi esse conjuncti cum DEO, non sunt id, quod adparent. Cor eorum multitudine inutilium adfectionum divisum est, mens eorum in plura studia & innumeras vanas cogitationes est distracta.

DEUS solus figit ingenium volucre hominis interioris. DEUS solus ejus curas, & cor totum sibi vendicat, quidquid aliud est, quantumcumque etiam sit splendidum, eum non adficit.

Quod

(a) Luc. 17. 21.

(b) 1. Joann. 4. 23.

Quod extrinsecus est, ad normam ejus, quod intrinsecus est, dirigi debet. At plurimi hunc ordinem invertunt. Apud hos, quod foris est, dirigit, & pervertit ea, quæ intus sunt.

Disce igitur intra te ipsum habitare, & solum exterioribus rebus te commoda, quantum DEUS præcipit.

Tunc etiam, quando pro status & muneris ratione rebus externis distentus es, ductum gratiæ sequere, & identidem in te ipsum descende, ut adfectiones, & intentiones tuas scruteris.

Noli in animum inducere, vitam interiorum solum certo hominum generi, certisque temporibus convenire.

Talis vita consistit cum officiis status, quæcumque illa sint; immo cum mole negotiorum maxime impeditorum consistit.

Attentio interior, & cura sui ipsius locum habet tam in prospera, quam in adversa fortuna; tam ingruente morbo, quam sanitate integra; in labore & requie; tempore tentationum & procellæ, sicut tempore pacis, & malaciæ.

Non est ulla ejusmodi vitæ varietas, ut quis in se ipsum redire nequeat, & in examen vocare, quid agatur.

Maxime autem exercitio vitæ interioris te totum trade, si DEUS te vocat ad sa-

cras functiones pro salute animarum. Si hoc adjumentum perfectionis negligis, nimis te ad exteriora effundes, & potius te ipsum, quam DEI gloriam quæres.

Præterea DEUS tua non utetur opera ad studium virtutum in aliis promovendum. Quia enim ratione alios ad virtutum exercitium excitabit, qui modum ipse ignorat, in vita interiore hospes, & peregrinus.

C A P U T XX.

De silentio.

Servus. In tuam disciplinam me trado o magistra virtutum omnium, ut discam tacere, & numquam loqui, nisi ut par est.

Tu virtutem silentii exercuisti modo tam perfecto, ut eam te duce melius, quam quocumque alio magisterio mihi comparare queam.

Evangelica historia nobis enarrat quæpiam ex verbis tuis; & inde perspicio, te numquam vocem misisse, nisi ex impulsu cujusdam virtutis.

Quis amor integritatis, quæ nimi demissio, quæ observantia se prodit in verbis, quibus Angelum adfata es, qui legatus ad
te

te missus adorandæ æternæ Majestatis consilium aperuit.

In domo cognaræ tuæ Elizabeth sermonem intulisti de laudibus DEI, eique bona cuncta in acceptis retulisti. Quando invenisti in templo filium tuum JESUM, tuum illi matris amorem verbis declarasti; & in nuptiis Canæ alienam inopiam, quam ex charitatis tuæ amplitudine veluti propriam duxisti, deprecatione tua sublevasti.

Ceterum silentium tenuisti, etiam tum, quum videri poterat, rem ac locum exigere, ut sensus tuos circumstantibus patefaceres.

Testis mirabilium, quæ JESU nato acciderunt, intereras sermonibus illorum, quo primi eum adoraverunt. Nihil eorum, qui dixerant, aciem ingenii tui fugit, sed conservasti *omnia verba hæc conferens* in corde tuo. (a)

In templo, ubi JESUM natum obtulisti, admiratione, & silentio defixa eras; nec verbi ullius a te prolati facer scriptor meminit. Inde capere documenta licet.

Conscendebas demum cum JESU Calvariæ montem. Stabas juxta crucem ejus erecta. Ultimum illius anhelitum excipiebas. Toto hoc tempore cum patientia, & consensione in divinam voluntatem summo silentio utebaris.

MA.

(a) Luc. 2. 19.

MARIA. Silentium meum, fili mi! eloquii instar tibi sit. Omnes piæ animæ tacitas has voces optime percipiunt.

Silentium, quod tenui omni loco, ac tempore, quo DEI gloria, & charitas aliorum non depolcebat, ut illud abrumperem, mihi animi collectio imperavit. Gratia superna ejus origo fuit.

Istud silentium te docet, ad cavendas animi aberrationes totum tuum esse, loqui parum, loqui cum consideratione, & nullo pacto loqui, nisi secundum Spiritum sanctum, qui verba suggerit, quæ loqui decet, iis omnibus, qui eum consulunt, audiuntque.

Libenter multum loqui nota est cordis, & mentis evagantis. Hæc animi evagatio jam magnum malum est.

Sensus pietatis facile evanescunt in congressibus familiaribus. Silentium eos conservat, & corroborat.

Paucos invenies, quos tacuisse poeniteat; multos contra, quos poeniteat nimium locutos esse.

Est tacens, qui invenitur sapiens, & est odibilis, qui procax est ad loquendum — est tacens sciens tempus aptum (a), id est, quando malum esset, aut minus ad rem, tacere.

Si-

(a) Eccl. 20. 5. 6.

Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cobibere spiritum suum; (a) & ideo hostium infidias non effugiet.

Alioqui in multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. (b)

Compertum est experientia constanti, ubi silentii cura est major, ibi innocentiam tutiori loco esse.

Hanc regulam probe tibi imprime: semper esse melius tacere, ubi nulla est necessitas loquendi.

Magnæ artis est, scire loqui, aut tempore suo, & loco tacere. Admodum versatus quis esse potest in aliis artibus, & hanc ignorare. Gratia eam efficacius docet, quam omnis institutio humana.

Fili mi! quo minus cum hominibus sermocinaberis, eo magis *DEUS loquetur ad eor tuum.*

Mille res, quæ vulgo sunt materies sermonum in congressibus, considera tamquam impedimentum sanctæ illius conjunctionis, quam *DEUS* tecum habere desiderat.

Cumprimis cave, ne cum hominibus multum loquaris de miseriis, & afflictionibus

(a) Prov. 25. 28.

(b) Prov. 10. 19.

bus tuis. Non illi tam communem tecum doloris sensum ex iis capiunt, quam tu tibi persuadeas. At cum DEO multum loquere, eique misérias tuas expone. Semper ille paratus est ad te consolandum.

Neque etiam umquam loquere, nisi necessitas cogat, de injuriis, quæ ab aliis tibi inferuntur. Sæpe accidet, ut te poeniteat, tam verbosum & querulum fuisse.

C A P U T XXI

De conjunctione animæ cum DEO.

Servus. O DEUS, qui amor, & charitas es, semper laudetur nomen tuum. Tu intima quadam necessitudine dignatus es virginem, quam servatoris nostri matrem delegisti.

Et tu o Virgo sancta! fruire justis laudibus, quas mereris, quia fideliter gratiis DEI tui respondisti.

Satis exsatiari nequeo in suspiciendis excellentibus tuis virtutibus; at imprimis in admirationem me rapit arcta illa, & continua conjunctio, quam cum DEO conservare novisti.

Cor tuum omnibus terrenis adfectionibus vacuum, erat coeli instar interioris &

myſtici, in quo deliciæ DEI erant ſedem figere, & in quo tu præſentia illius tranquille fruebaris.

Nec ſomnus interrumpibat hoc dulce commercium. Cum ſponſa in canticis dicere poteras: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* (a) Ah! cur non mihi quoque integrum eſt, ita congiungi cum DEO meo, neque terræ aliter adſtringi, quam hoc uno corporis vinculo.

MARIA. Singularis gratiæ loco habeo illud DEI beneficium, quo ſemper ejus mihi præſentia obverſabatur.

Si tu ad eundem favorem adſpiras, da operam, ut animum ab omnibus terrenis adfectionibus exſolvas, & ut te alienes ab omni eo, quod DEUS non eſt.

Magno haud dubio id tibi conſtabit; ſed id, quod fructus exſiſtet adhibiti tui conatus, & victoriæ tui ipſius; quanti, quanti eſt; bene emitur.

Ceterum rebus omnibus, quæ te circumſtant, utere ad mentem erga DEUM elevandam. Quocumque te vertes, mille ſeſe offerent occaſiones DEUM laudandi, & celebrandi.

Cæli enarrant gloriam DEI (b) dum ſumma cum Majestate ſupra verticem tuum
in

(a) Cant. 5. 2.

(b) Pf. 18. 2.

in orbem aguntur. Splendor astrorum est imago splendoris divini. Marium longe lateque patentium amplitudo DEI immensitatem adumbrat.

Quidquid in hac rerum universitate conspicitur, divinas perfectiones eloquitur. Res cunctæ, vel minimus flos campi, est velut liber oculis tuis conspicuus, qui Deum in memoriam reducit.

Sed non est necesse ea, quæ extra sunt, contemplari. Intra te ipsum ubique tibi DEUS occurrit. *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* (a)

Ille est, qui mentem tuam illustrat, qui tuam movet voluntatem. *Ecce, ait, sto ad ostium cordis, & pulso.* (b) & rursus Patris teneritudine, & amore dicit: *Præbe fili mi, cor tuum mihi* (c)

Ille est DEUS amoris, qui excubat pro tua conservatione, & qui imperat naturæ, solerti rerum omnium matri, ut ea continenter producat, quæ tuis usibus deserviunt.

Igitur non multum quærendus est, ut inveniatur, *quum non longe sit ab unoquoque nostrum.* (d) In te ipsum descende. At-

M 3

ten-

(a) Act. 17. 28.

(b) Apoc. 3. 20.

(c) Prov. 23. 26.

(d) Act. 17. 27.

tentus esto ad sanctam ejus præsentiam. Multis eam modis tibi perceptibilem reddet.

Jam per vivida lumina, & subitas illustrationes; jam per arcanos motus, & pios sensus; nonnumquam per amoris plenas reprehensiones infidelitatis tuæ.

Cave, ne impedimentum objicias his diversis gratiæ operationibus, vel per aliquam mentis levitatem, aut per quemdam animi languorem.

Trade te sanctis exercitiis, quæ te quam maxime ad DEUM evehant. Id autem cura, ut illa ex religionis præscripto obeas.

In actionibus ordinariis, & functionibus status tui conforma te ad ductum providentiæ divinæ, quæ tibi veluti ipsa quotidianum hoc pensum injungit.

Nihil suscipe nimia cum sollicitudine. Præceps festinatio etiam in rebus sanctis non potest non obesse vitæ interiori, per quam DEO conjungimur.

Quando vel gaudio, vel mœrore afficeris, noli motus naturæ sequi. Ne sit res ulla creata, sed DEUS solus, in quem effundas cor tuum.

Adsuesce cum DEO conferre, seu quæ mœrorem tibi, seu quæ lætitiā pariunt. Confuge ad eum tamquam Patrem, aut tamquam amicum, in cujus sinum causam doloris

loris tui, vel gaudii cum fiducia deponere queas.

Per hanc rerum omnium cum DEO communicationem fit, ut ejus nobis cor conciliemus, & incrementa capiamus in sancta illa conjunctione, qua nihil in hac vita animæ christianæ aut suavius, aut optabilius esse potest.

C A P U T XXII.

De officiis status sui.

Raro DEUS a nobis exigit, ut nostrum illi amorem actionibus plausibilibus testificemur. Hic amor sese prodit maxime in minimis officiis status nostri constanti cum fidelitate implendis.

Per hanc fidelitatem MARIA sibi comparavit merita, quæ illam supra Angelos extulerunt.

Per annos triginta abdita in Nazareth, cum servatore commorata est. Ibi id potissimum egit, ut divini filii curam gereret; ut sponsum sibi suum magis magisque demerentur, & ut familiæ suæ provideret domesticis laboribus, quos pro viribus suscepit.

Hoc tu exemplo disce, quid tibi omnium maxime agendum sit, ut ad vitæ sanctitatem pervenias.

In errore versatur, qui sanctitatem constituit in iis exercitiis, quæ aliena sunt ab officiis status, & hæc negligit, ut illis vacare queat.

Maxima præ ceteris est perfectio statu suo contentum esse, & illius utut communia officia implere, quando hic status in serie providentiæ divinæ continetur.

Artifex, qui sudore vultus sui vitam tolerat; Paterfamilias, qui sine ambitione fortuna mediocri utitur, non minus animæ suæ salutem promovent, quam ii, qui celebrioribus artibus, & scientiis vacant, quique sacris etiam muniis funguntur. Sæpe etiam minus periculis exponuntur.

Optimus pro te status non ille est, qui tibi perfectior adparet, sed is, in quo te DEUS collocavit.

O deceptionem! sanctum esse velle in suo ingenio, & non eo modo, quem DEUS præscribit. Nihil perfecte fit, nisi quantum fit ideo, quia DEUS vult, & quo id fieri modo vult DEUS.

Meritum actionum nostrarum multo minus dependet a natura rerum, quas exerces, quam ab intentione, qua animantur,
&

& a convenientia, quam habent cum divina voluntate.

DEUS a te postulat continuas parvas actiones; & tu alta petis, ac illustres meditaris actiones. Inde fiet, ut neque has, neque illas, ut par est, perficias.

Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. (a) Sed falleris, dum plura, quam DEUS exigit, facere desideras. Satis tibi sit bene agere, quod DEUS petit, & eundem ad id fervorem adfer, quem adferres, si quid maximi momenti foret.

Quidnam grande fecit mulier fortis, cuius laudes divinus spiritus litteris consignavit? Ducebat fustum, & minimis curis domus suæ distinebatur.

Rebus divinis in Ecclesia interesse, preces fundere, invisere ad ægrotos, excellentia sunt opera. Sed si fiunt, quando officia status longe aliud quid poscunt, dicere non potes, te id agere, quod DEUS vult.

Oportet orare, & sæpe orare. Immo oportet *semper orare* (b) quantum fieri potest. Verum si officia domestica prætermittas, ut precationibus indulgeas, preces tuæ DEO acceptæ non sunt.

M 4

Quot

(a) Luc. 10. 41.

(b) Luc. 18. 1.

Quot opera suum pro cœlo pretium amittunt, quia propria voluntas eorum origo est, illudque obtinet Isaïæ: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* (a)

Quanti contra meritorum thesauri colliguntur per exercitia vitæ communis, & ordinariæ, quia sigillum divinæ voluntatis veluti impressum gerunt.

Multi, qui non videbantur magnis meritis pollere, ad majorem in cœlis gloriæ gradum eveherentur, quam tibi persuadeas, quia minima quæque status officia singulari fidelitate, quæ non ita in oculos cadit, obire solent.

Dominus, cujus evangelium meminit, non dicit servo: *Intra in gaudium Domini tui*, quia magna opera præstitisti; sed ait: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* (b)

(a) Is. 58. 3.

(b) Matth. 25. 21.



C A P U T XXIII.

Quomodo in laboribus & diversis quotidianis occupationibus sancte versari. oporteat.

MARIA. Officia status tui, fili mi! multas tibi faceffunt curas. Quid vero est, quod in his expediendis ne momento quidem DEI memor es?

Servus. Virgo semper fidelis, & vigil! pro tua bonitate modum mihi suggere, quo inter labores, & exercitia functionum status mei DEO me conjungere valeam.

MARIA, Fili mi! Labores manuum, & occupationes maxime molestæ ac operosæ hominem, spirituali & interiori vitæ deditum, a conjunctione cum DEO impedire nequeunt.

Anima, quæ sese colligere adfuevit, mira gaudet facilitate cogitationes de DEO suscitandi inter eas etiam occupationes, quibus per status sui munia detinetur, & quæ, ut quidem adparet, quam maxime eam distrahere deberent.

Sancta intentio, quæ actioni cuilibet pondus adjicit, & qua DEO quodvis opus consecratur, simul prohibet, ne mens evagetur, ut illis sæpe accidit, qui ad hoc animum non intendunt.

Fides, & religio cuncta nobilitat; cuncta mitigat, cuncta DEO accepta reddit, quidquid ex hoc impulsu fit, DEUS ratum habet, & sua remuneratione dignum existimat.

Fac pro DEO id, quod tot alii faciunt, sed pro mundo, aut pro lucro terreno. Versare in iis occupationibus, quas status tui ratio exigit. Sed versare ea mente, quæ Christi sectatorem decet. Ita laborabis eadem fidelia & pro tempore, & pro æternitate.

Si negotiis des operam, ductus propensione propria, ingenio tuo, & indole, vel metu, consuetudine, aut alio incitamento inere humano, fiet, ut horas integras exigas, quin DEI vel semel memineris; quia nempe DEUS non est principium actionum tuarum.

Neque dicas, te de duabus rebus simul cogitare non posse. Scias, cor pium momento totum id DEO dicere, quod dicere vult.

Martha, quæ pro JESU laboravit, vel tum, quum de laboribus cum illo loquebatur, operæ non pepercit.

Inter occupationes tuas, sermones de rebus tuis misces cum iis, qui te circumstant. Fac etiam, sic agas cum DEO, qui rebus tuis omnibus præsens adest.

Uttere

Utere DEO familiariter: *Non enim habet amaritudinem conversatio illius*, contra ac inter homines sæpe accidit, *nec tedium convictus illius, sed lætitiā & gaudium.* (a) Quid? quod in omni genere laborum, atque occupationum DEO frui possis?

Ad magnum sanctitatis gradum perveniri potest ea solum agendo, quæ aliis sunt communia, sed ea agendo, modo minime communi.

Maxima pars hominum non alio fine manum admovet operi, quam quia id fieri oportet. Ut aliquid agat, quia DEUS id præcipit, aut studio ei placendi id ne cogitat quidem.

Quod tuum est, fili mi! Dic DEO tuo inter labores: Domine omne gaudium meum est in tua voluntate facienda; & studio tibi placendi, si multo etiam majorem molestiam crearet labor, nihil remitterem de contentione.

Offer quoque labores conjunctim cum laboribus, quos JESUS pro salute tua exhausit.

Si labor ex sententia cessit, lauda eum, cui in acceptis ferendus est. Si secus accidit, subde huic te afflictioni, quam DEUS ordinavit ad patientiam tuam exercendam.

Per

(a) Sap. 8. 16.

Per hanc conjunctionem cum DEO in omnibus operibus tuis fiet, ut minimæ, & externa specie quam maxime abjectæ actiones dignæ evadant ad novum tibi gloriæ cœlestis gradum promerendum.

C A P U T XXIV.

De amore erga JESUM.

Servus. Mater JESU sanctissima! toto tempore commorationis tuæ in Nazareth JESUS hominibus passim ignotus fuit; spreus etiam, & despiciatui habitus. Interea id ei solatium attulit, a sua se matre amari sincere, ardentem, tenere, constanter.

Quum de ejus divinitate & perfectionibus infinitis tibi constaret pro certo, tantus erat tui erga eum amoris æstus, quantus neque fuit, neque est, neque erit umquam Angelorum, & Sanctorum omnium.

Amor tuus omnium matrum amorem longissime antecellebat. Tu illum tamquam filium DEI, qui simul humanam naturam sibi copulavit, venerabare.

Inde enatum est immensum illud desiderium, quo flagrabas, ut res omnes mentis compotes, tanto in eum amore ferrentur, quanto tu ferebaris.

Hoc

Hoc sinceri amoris est proprium, quærere, ut & alii participes fiant, & desiderare, ut flammæ, quæ aluntur in corde, in omnium hominum corda diffundantur.

Necesse foret, JESUM cognoscere, sicut tu illum cognovisti, ut modo tam perfecto ametur, quam tu eum amasti.

Necesse foret legere in ipso corde tuo sensus illos tenerrimos, quibus in eum, qui unus eras scopus tuus, exarsisti, ut vel digne de hoc amore loqui valeamus.

Ah! aperi, aperi tu ipsa hoc tuum cor, quod tam perfecte amat. Detege nobis sinceritatem omnem, teneritudinem, vim admirabilem, & excelsitatem ardentis illius amoris, quo hoc cor animatum fuit.

MARIA. Fili mi! indignam me reddidisssem honore matris JESU, si meus erga eum amor non omnium creaturarum mentium amorem exsuperasset.

Faciebam quotidie novas amoris accessiones, quia quovis die in divino hoc filio novas perfectiones detegebam.

Non alia fruebar dulcedine, non felicitate alia, quam amore isto. Hic erat alimentum meum, vita mea, requies mea, gaudium meum, deliciæ meæ.

Ducebam in Nazareth vitam pauperem, & obscuram; at locupletem, beatamque me reddidit thesaurus, quem possidebam, JESUS

SUS meus. Hoc solum bonum divitias potentissimorum Regum transcendit.

Beati, & millies ac millies beati, quorum corda amore JESU flagrant, quorum vita & desiderium omne JESUM anhelat.

Solus amor JESU cor tranquillum & contentum efficit. Nihil quidquam diutius sine hoc amore placere potest.

Qui necdum agnoscit, quam amabilis sit JESUS, dicerene potest, se sinceram animi voluptatem cepisse in hac terra.

Quo magis JESUS amatur, eo etiam magis voluptas illa sentitur, quæ ex amore ejus percipitur, qui est vere & infinites dignus, ut ametur.

Finge miseriam, quam fieri potest, maximam in hac vita, numquam tanta, tamque gravis erit, quanta est JESUM non amare.

Qui non amat JESUM, perpenditne umquam, quid JESUS sit, novitne, quam sit amabilis?

JESUS in se complectitur omnes perfectiones naturales, sed modo tam eminenti, ut existat opus numeris omnibus absolutum manuum conditoris.

JESUS in se continet omnes perfectiones gratiæ, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, (a) unde omnes homines accipiant, & ditentur.

JE-

JESUS in se habet omnes perfectiones divinitatis, quæ illi intime conjuncta est.

JESUS est potentissimus potentia DEI; pulcherrimus pulchritudine DEI; sapientissimus sapientia DEI; sanctissimus sanctitate DEI.

Servus. Ah! si etiam JESUS non foret infinite amabilis in se ipso, & per se ipsum, tamen esset propter me, quia infinito suo amore me dignatus est. Quæ tormenta cumprimis non subiit, ut suum mihi amorem testificaretur?

MARIA. His adde, fili mi! multitudine tormentorum non exhaustum esse desiderium patiendi. Amor numquam dicit: sufficit. Sed amores inter omnes ardentissime ac operosissime sese prodit amor JESU.

JESUS pro tua salute plus adhuc obtulisset, quam egit, passusque est, si potuisset quid amplius offerre, quam se ipsum.

O Fili mi! si res ulla est magis digna amore tuo, quam JESUS sit, scito, eum non invitum esse, ut tuum illi rei amorem impendas. Si vero ante omnia, & super omnia amari meretur, tuosne illi amores denegabis?

Servus. Ah! quantum est in rebus omnibus inane, quam evanescunt omnia ante oculos meos! Nolo amare, neque amo quidquam magis, quam JESUM.

MARIA. Qui JESUM cognoscit, quid. quid reliquum est, adspernatur. Quaecumque mundus habet, ei desipiunt, qui dulcedinem amoris JESU degustavit.

Servus Possum, si velim, JESUM habere amicum. Si tantum mihi bonum comparare negligo, vitam vivere miserrimam mereor.

MARIA. Ita fili mi! ama id, quod nunquam poeniteat amasse; quod non sit vicissitudinibus subjectum; quod non modo in morte non auferatur, sed potius permaneat æternum, & tua sit possessio in cœlis.

JESUS solus est animus fidelis, & constans, qui non recedit, ubi alii amici tergum vertunt.

Verbum unicum hujus amici adfert consolationem cordi adflicto. De aliis amicis dici potest: *Consolatores onerosi omnes vos estis.* (a)

Quæ molestia, quod fastidium animum tuum deprimere, aut quis hostis tibi officere poterit, si amor JESU in corde tuo sedem fixerit?

Si JESUS regnat in corde tuo, & ibi velut in throno suo resideat, eris ditissimus, potentissimus, felicissimus, qui est, aut esse potest in terra.

Amor

(a) Job. 16. 2.

Amor JESU est eiusmodi bonum, quod si adsit, omnibus aliis bonis carere licet. An forte JESUS non omne id in se continet, in quo cor ejus amore succensum, totum conquiescere potest?

Servus O JESUS meus! o DEUS meus! per illum amorem, quo sanctissima tua Mater erga te flagrabat, imploro gratiam ita te amandi, ut nihil amem magis, quam te; nihil amem tantopere, ac te; nihil penitus amem, nisi amore tui.

Nequeo te amare, quantum mereris amari; sed volo, adjuvante tua gratia, tantum te amare, quantum possum amare. Si sic amem, tantum te amabo, quantum amare debeo.

Accende in me eas amoris flammæ, quibus te a me amari desideras. Utinam hoc igne amoris divini ita exardescam, ut etiam totus consumar.

Nosse, quam amabilis sit JESUS, & non posse tantum amare, quantum amari meretur, cruciatus est, quem nihil mitigare potest, quam desiderium indies majus amoris ardentioris.

C A P U T XXV.

Oportet JESUM contemplari, eumque sibi tamquam normam proponere.

MARIA. Fili mi! an non es e numero eorum Christi cultorum, qui multo melius loquuntur, quam agant? Certis quibusdam temporum momentis fervet spiritus, sed vitæ ratio non respondet.

Sæpe quis dicit: DEUM a se amari. Adparet etiam non ex vano id dici, quia tempore, quo gratia adfluit, dulces lacrymæ manant. Sed hoc adhuc non est argumentum veri & sinceri amoris.

Testificatio, quam JESUS petit, amoris tui in eo sita est, ut te, tuosque mores ad exemplum virtutum, quas exercuit, conformes.

Servus. O Virgo! hoc perfectissimum exemplum tu expressisti iis annis, quos cum JESU in Nazareth exegisti.

Evangelium nobis testatur, te cum studio excepisse omnia verba JESU, te in omnes ejus actiones intentam fuisse, & conservasse *omnia verba in corde tuo.* (a)

MARIA. Ita fili mi! JESUM contemplari princeps meum erat studium, illumque

(a) Luc. 2. 51.

que imitari princeps cura mea. Tuus quoque labor sit meditari vitam JESU, eo consilio, ut eam etiam imiteris.

Hanc scholam adi. & omnes tuos nervos contende. Non est alia vera scientia, quam illa JESU Christi. Hic tuus sit unus Magister.

JESUS simul est rex, qui omnia tua obsequia promeretur. Primum obsequium, quod a te petit, est imitatio virtutum ejus.

Confer frequenter te ipsum cum hoc archetypo, antequam de hac imitatione coram divino tribunali in examen voceris.

Ex tui amore tanta tibi exhibuit exempla submissionis animi, patientiæ, obedientiæ. Amore illius tu ea imitare. Quod si difficultates & molestiæ occurrant, semper in JESUM oculos conjice.

In omnibus, & per omnia ratum fixumque sit, quantum fieri potest, ejus virtutes in te exprimere.

Si precibus vacas, ejus collectionem animi tempore precationum ante oculos tibi propone; si loca sacra, & templa accedis, ejus exemplo, religio erga DEUM, & amor te ad aras deducant.

Si inter homines agas, considera, qua ratione JESUS versatus sit, quanta cum modestia, quanta morum suavitate.

Ut imiteris JESUM, qui erat *mitis & humilis corde* (a) ne consequaris de injuriis tibi illatis, sed bonum pro malo redde. Fuge honores mundi, & gaude, si contemnaris, & oblivioni tradaris.

Scriptum est, *unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit*, (b) Gloria DEI, & voluntas ejus in omnibus perficienda, sit principium & finis actionum tuarum.

Quævis pars vitæ JESU, quam egit in terris, tua doctrina est. Vita illius privata æque, ac publica pro veris ejus discipulis inexhausta quædam discendi est materies.

JESUS est *via, veritas, & vita*. (c) Non aliter, quam in exemplis virtutum ejus, invenies viam, quam ingrediaris; veritatem, quam sequaris; vitam animæ, quam custodias in terra.

In omni rerum statu, in quo versaris, ex te ipso quære, quid JESUS facturus, dicturusve fuisset, & conforma te ad hanc normam, quam verbis suis, & actionibus tibi præstituit.

No.

(a) Matth. 11. 29.

(b) Rom. 15. 2.

(c) Joann. 14. 6.

Nosti, quæ fuerint ejus propensiones, quæ desideria, qui sensus. Te jam in examen voca. Confer, & corrige. Sed cogita emendationem, quæ fructus esse debet similitudinis cum JESU, non esse opus unius diei.

JESUS est exemplum tam excellens, quod numquam perfecte exprimi potest. Impedendi sunt omnes dies vitæ, ut indies imitatione nostra contendamus nova quædam lineamenta ducere.

Quia vero sine gratia ipsius JESU pertingi non potest ad eam felicitatem, ut eam inuitemur; omnibus diebus vitæ eam implorare oportet.



C A P U T XXVI.

De felicitate ejus familiæ, quæ virtuti est dedita.

Cœlo dignum spectaculum erat familia illa sancta, quæ in Nazareth commorata est eo tempore, quo JESUS ibi cum MARIA & Josepho versabatur.

Quæ pax, & animorum conjunctio ibi obtinere debuit, quia ibi erat domicilium virtutum; & omnis licentia vitæ, & immoderatio inde quam longissime exulabat.

Toto eo tempore, quo JESUS *cre-
scebat, & confortabatur plenus sapientia:
& gratia DEI erat in illo*, (a) MARIA oculos suos in eum intentos habebat, ut se ad ejus vitam conformaret.

Non minus Josephus toto pectore incumbebat, ut exempla matris, & filii in suam converteret utilitatem.

Omnia DEUM sapiebant. Omnia pro DEO fiebant. Sola JESU præsentia gaudio corda complebat. Divini illius sermones sancti amoris flammæ fuscitabant.

Submissio JESU, & obedientia MARIAM, & Josephum simul in admirationem rapiebant, simul ad agnitionem sui nihili coram DEO adducebant.

O DEUS

(a) Luc. 2. 40.

O DEUS omnis sanctitatis! tu ibi colebare *in spiritu & veritate*. Quam accepta tibi esse debebant obsequia, quæ nomini tuo hic deferebantur.

Non mente effingi potest species hujus beatæ familiæ, quin sancta quædam invidia hujus felicitatis suboriat. Queis votis exoptandum est, ut singulæ familiæ christianæ hinc petant vitæ suæ documenta!

O si in domibus Christi cultorum amor DEI sedem figeret, uti residebat sub humili tecto, quod JESUM, MARIAM recipiebat, profecto idem rerum ordo, eadem charitas, & consensus animorum ibi obtineret.

Conjuges vinculi conjugalis fructus dulcissimos caperent; proles timore DEI ab incunabulis imbuerentur; domestici & familiares exemplis virtutum traherentur.

Non ibi locus esset funestis consecutionibus, quæ ex Zelotypia, & dissensionibus oriuntur, neque tam frequentes, ut nostris temporibus esse solent, offensiones existerent.

Adfluentia bonorum fortunæ non ferviret ad fastum & pompam, quæ integras non raro familias ad incitas redigit, sed ad pauperum inopiam sublevandam. Prosperitas vitæ foret occasio DEUM laudandi, eique gratias agendi, simulque exercendi

virtutem christianæ temperantiæ & moderationis.

Prudens œconomia maximum foret vetigal. Huc omnis cura converteretur. Sordida patrimonia avaritiæ perinde ac luxus immodicus proscriberentur.

Res adversæ neque planctum, neque querimonias adversus divinam providentiam excitarent. DEUS æque in angustiis rei familiaris, aut fortunæ mediocritate, quam in rerum abundantia, & cursu honorum laudaretur.

Paterfamilias cum auctoritate præesset sine impotenti dominatu, & fastu. Coniuges sibi invicem opem ferrent in gubernanda familia; & oculis suis cum solatio cernerent proles excrescere dociles, atque a teneris combibere virtutum rudimenta.

Quantum bonum inde redundaret in totam recte credentium societatem! quam amabilis morum ingenuitas! quis candor, quæ innocentia! quæ conjunctio animorum, quæ charitas! quæ præclara exempla virtutum, qui mirabiles fructus sanctitatis!

In qua animi tranquillitate omne tempus vitæ transigeretur! & quando naturæ debitum exsolvendum esset, nonne eo alacrius vita offerretur, quo certius quis, conscientia teste, confidere posset, se in semitis iustitiæ, & DEI sui amore dies vitæ exegisse.

CA-

C A P U T XXVII.

De precum efficacia.

In nuptiis Canæ, ubi MARIA cum JESU, & discipulis ejus aderat, vinum defecit. MARIA commota opprobrio, quod sponsi eam ob rem subituri fuissent, & confisa filii sui potentia vini penuriam exponit.

Solet DEUS semper gratias suas precibus alligare. Ut est paratus omni tempore ad eas nobis conferendas, ita nos invitat ad easdem efflagitandas, sed ut id fiat cum fiducia, petit.

Signum est plerumque languentis fidei, si fiducia deficiat. Inde fit, ut toties steriles sint preces, & sine fructu.

Ut DEO tributum labiorum nostrorum pendamus, necessarium non est certa tempora occupari. DEUS noster quovis momento promptus est ad nos exaudiendos. Semper nobis dicit: *Petite, & dabitur vobis — Omnis enim, qui petit, accipit.* (a).

O servi tanti DEI, qui tam benignus est, ut neminem a se repellat, & tam dives, ut omnibus largiri queat, quid est, quod tam ignavi estis, & gratias ab eo non petitis seu pro vobis ipsis, seu exemplo MARIE, pro aliis?

N 5

Pe-

(a) Luc. 11. 9.

Petitio **MARIÆ** brevis est. **DEUS** (o quantum hominibus dissimilis) non petit preces exquisitas, longe petitas, & diuturno, studio elaboratas. Ut quis agat cum illo non verbis meditatis, non oratione expolita opus est.

Si preces fundantur aperta cum ingenii simplicitate, animique candore, & nihil petatur, nisi quod novimus ad ejus gloriam, & animæ nostræ salutem conferre, aut certe, quod neutri contrarium sit, certi sumus, nos **DEO** placere, eumque nobis propitium fieri.

Multo minus idonea sunt verba, quæ ore proferimus, quam sensus, quos corde gerimus, ad favores divinos promerendos.

Suspiria quædam ex intimo corde profecta, quæ mater Samuelis edidit, non modo filium, quem petebat, sed filium Prophetam; filium judicem Israelis illi impetrarunt. *Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* (a)

JESUS MARIÆ responsum reddidit ea ratione, ut nihil spei reliquum esse videretur. Non tamen illa sperare desuit. Tandem voti compos effecta est.

Non

(a) 1. Reg. I. 13.

Non facile accidit, ut quis perseveranter oret, & non exaudiatur. Importunitas hominibus displicet, eisque molestiam creat. At DEO nunquam molesta erit. Tu cave, ne molestum tibi sit precibus insistere.

Sæpe licet ferventer preces fundas, JESUS tibi, ut MARIÆ respondere videtur. *Nondum venit hora mea.* Modo autem fiducia tua non labefactetur, hora illa aderit.

Indignos nos reddimus divina bonitate, si DEO tempus præscribere velimus, quo suos nobis favores impertiatur.

Fît tamen nihilominus, ut licet DEUM repetitis precibus solícitemus, quandoque non obtineamus, quod petimus.

Paulus Apostolus a molesta tentatione liberari sæpius postulavit. Vexatus est tamen identidem. Verum quia ad preces confugit, DEUS illi gratiam concessit, qua auxiliante victor magnas meritorum accessiones fecit. An DEUS precibus ejus non annuit?

Forte annis pluribus a corporis ægritudine exonerari petis. DEUS votis tuis non subscribit, sed magna patientia in perferendis morbi molestiis precum tuarum fructus est. En DEUS se a te exorari patitur.

Sæpenumero res, quæ nobis bona esse videtur; & quam a DEO flagitamus, causa nobis malorum evaderet, si compotes fieremus.

remus. DEUS nobis eam denegat amore nostri.

Multo major ratio habenda est gratiarum, quæ salutis æternæ, & morum sanctitati conducunt, quam gratiarum mere terrenarum. DEUS has maximis suis inimicis largitur; illas electis suis conservat.

C A P U T XXVIII.

Virtus perbene consistit cum decoro.

Charitas MARIAM, uti & divinum filium impulit, ut nuptiali convivio in Cana interesset.

Maluisset utique domi se suæ in Nazareth continere, & tranquillo animo dulcedine contemplationis perfrui; voluit tamen novis sponis, qui eam invitarunt, repulsa tristitiam adferre.

Virtus igitur cum decoro consistit. Immo exigit, ut decentiæ ratio habeatur, atque adeo sola efficit, ut, quod decet, sancte fiat.

Verum ut in omnibus MARIAM imiteris, ob oculos tibi pone modum, quo illa se hac in occasione gessit. Quæ se prodit circumspectio in verbis, quæ modestia in obtutibus!

Prudentia in modo agendi, quam illa tenuit, tibi documentum decentiæ, & moderationis præbet, qua inter ipsas animi relaxationes honestas, ac innocentes utaris.

Magnum discrimen inter leges socialis vitæ, & leges mundi. Virtus leges mundi non alio fine novit, quam ut eis bellum inferat; leges autem socialis vitæ ipsa observat, quantum fieri potest, quia legi divinæ nihil adversum habent.

Pene injuria pietati irrogatur, si quis omne sibi animi oblectamentum interdicat. Hinc falsæ præjudicatæ opinioni pondus accederet: *hominem per virtutem silvescere.*

Absit. Vera pietas hominem silvestrem non reddit. Licet legibus urbanitatis sese accomodare, quin pietas detrimentum capiat.

Immo vera pietas sine suo, quem sibi præfigit, & incitamento, quo agit, actionibus neutris, quæ in se ipsis indifferentes sunt, dignitatem addere novit.

Numquam, virtus ait, oblectamento etiam innocentissimo te totum trade; sed solum te illi commoda.

Ut ne mens nimium distrahatur in honestis, & ingenuis oblectationibus, queis te interesse decori ratio poscit, da operam, ut interdum præsentis ubique DEI memineris.

Gere te sapienter, eaque cum modestia, & moderatione, qua utereris, si JESUS & MARIA ibi tecum versarentur.

Externa specie, exemplo Angeli, qui Tobiam comitatus est, id age, quod agunt alii, modo nil agant, quod non liceat; sed eodem tempore, more Raphaelis dicentis: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere: sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor; (a)* animæ tuæ delicias in DEO constitue.

Cogitationes tuas ad cœlum erige. Subi beatorum concilium; & gaudia, quibus sancti fruuntur, insatiabilia in memoriam revoca; gaudia, quæ præmium sunt neglectus oblectamentorum terrenorum, quæ ad se non pertinere arbitrabantur.

Mentem tuam & cor tuum in Domino defige, eique sponde, numquam fore, ut gaudia mundi oblivionem inducant earum deliciarum, quæ in ejus sese obsequio offerunt.

Dicito illi, te ita constitutum esse, ut velis auxiliante ejus gratia omnibus, qualescumque sint, oblectamentis hujus vitæ carere, modo vel unicum amoris divini gradum consequaris.

(a) Tob. 12. 19.

C A P U T XXIX.

Quam dulce sit vocem JESU excipere, & quam anima recipiendæ illius doctrinæ intenta esse debeat.

MARIA fruita est præsentia JESU, & suavitate sermonum ejus spatio triginta annorum, quibus cum illo in Nazareth commorata est.

Sufficere videri poterant doctrinæ uberes, quas ex divino ejus ore hausit, earumque jugis in solitudine recordatio, quin necessarium esset, eum in vita sua evangelica per diversa loca adsectari.

Nihilominus Joannes Apostolus declarat: *Descendit Capharnaum ipse, & mater ejus — & ibi manserunt non multis diebus*, (a) certe non alio fine, quam ut cœlestem illius doctrinam exciperet.

Reliqui evangelicæ historiæ scriptores referunt, illam occasione alia, quum non posset *adire eum* (JESUM) *præ turba*, (b) quæ undique adfluebat ad divinam doctrinam condiscendam, alloquium ejus expetiisse.

Nem-

(a) Joan. 2. 12.

(b) Matth. 12. 46. Marc. 3. 31. Luc. 8. 20.

Nempe horum cœlestium documentorum pretium melius, ac quisquam alius perspiciebat, uti & magis amœnitate sermonum JESU rapiebatur.

O quam jucundum accidit ei, qui vocem JESU a profanis hominum vocibus discernere novit, *verba vitæ auscultare*, quæ ex ore ejus egrediuntur.

Anima, quæ semel degustavit JESUM, amplius vivere nequit sine JESU. Etsi jam mille vicibus ejus vocem audierit, adhuc mille vicibus audire desiderat.

Nulla ei arridet commoratio, nisi dilectum suum reperiatur. Omnis vox illi ingrata est, si non sit JESUS amplius, qui loquitur.

O quam fastidit sermones hominum! *Narraverunt mihi, inquit, iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* (a) Sola illi verba JESU *spiritus & vita sunt.* (b)

Quando eum loquentem audit, missas facit omnes alias cogitationes, ut tota intenta esse queat divino eloquio. Cum hoc suavissimum concinentium vocum lenocinium ne quidem in comparisonem venire potest.

Nihil est, quod majori cum gaudio excipiat, quod majori fidelitate retineat, quod
ma-

(a) Ps. 118. 85.

(b) Joann. 6. 64.

majori studio meditetur. Nihil vero etiam est, quod uberiores in illa fructus pro-
gignat.

Si somnum capit, ut sponsa in canticis, etiam expergiscitur cum eadem sponsa quovis minimo sono vocis sponsi cœlestis. Ah, ait, *Vox dilecti mei, ecce iste venit.* (a)

Neque fallitur etiam. Qui JESUM modo amat, novit illico JESUM esse, qui loquitur.

Mundus, vanitas, gaudia fluxa, modo penitus discrepante, vocem mittunt: sonus eorum cum molestia percipitur, & horrorem parit.

Magdalena oculis suis JESUM non agnovit, quando post reditum a mortuis illi adparuit. Ut primum vero ore suo divino loquentem audit, ita cor ejus adficiebatur, ut JESUM esse intelligeret.

O JESU, servator mi! prohibe a me voces omnes alienas, quæ me toties a verbo tuo divino avocare nituntur. Te solum audire docentem libet.

Apagite vana oblectamenta, & res frivolæ, quæ me toties a percipienda voce JESU impediistis. Solum me cum solo relinquite.

O

O di-

O divine Magister! ut forte beata fruar te audiendi, *sequar te, quocumque ieris* (a) Si amplius te non exaudiam in Nazareth, contendam in Capharnum, Jerosolymam advolabo.

Verum quocumque loco consistam, felicitate, quam suspiro, potiri queo. Loquere o Domine, loquere continenter animæ meæ. *Audiam, quid loquatur in me Dominus DEUS.* (b)

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum: ut mitiges ei a diebus malis. (c)

Tuo nomine frequenter mihi loquuntur ministri tui. Multi libri, quos cum voluptate lego, de te verba faciunt. Sed nisi tu eodem tempore sermonem socies, quid momenti apud animum meum habere possunt?

Quod illi mihi dicunt, veritate nititur, immo percellit etiam. At si gratia tua cum verbis non uniatur, veritas alte menti non imprimitur; & cor non penitus commovetur.

Ergo *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* (d) O sponse cœlestis animæ meæ! ut & vox mea ad te pertingat. Loquere cordi meo, ut & cor meum tibi loquatur.

Vox

(a) Matth. 8. 91.

(b) Ps. 48. 8.

(c) Ps. 93. 12.

(d) Cant. 2. 14.

Vox tua vel unico momento plura præcepta tradit, quam in schola sapientum hujus mundi per annos plurimos hauriri queant.

Doctrinæ tuæ, quam a te acceperunt, debent homines, mundo judice, rudes ac simplices scientiam suam, qua de divino amore ratione prorsus eximia sermones miscere, & de ipsis maximis mysteriis acute differere norunt.

C A P U T XXX.

Quærenda non est gloria mundi, neque fama apud homines.

Servus. O Maria! o beata Mater! absque dubio gaudio gestiebas, quando cernebas diversos honores tempore promulgationis Evangelii filio tuo variis locis exhiberi. Hoc verò gaudium tuum unice in illum tendebat. Tu tui rationem nullam habuisti.

Tu numquam gloriata es tua Matris DEI dignitate, quæ electione superna in lucem edidisti eum, qui splendore mirabilium suorum operum, & sublimitate doctrinæ suæ omnes in sui admirationem convertit.

Longe discrepas ab aliis matribus, quæ sibi effuse plaudunt ob præclare facta filiorum, & in communionem gloriæ venire volunt.

lunt. Quando JESUM sequebaris diversa loca peragrantem, eum propositum habuisti finem, ut cœlesti ejus doctrina pascereris, & animam tuam reficeres; non vero ut gloriam colligeres, & ut laudes ac præconia, quæ in illum conferebantur, in te redundarent.

Tu constanter submisse de te sentiebas inter plausus, qui vel maxime tibi honores, & obsequia conciliare poterant.

Ita exemplo tuo condemnas cupiditatem gloriæ, & celebritatis nominis apud homines, qua funesta peste omnia fere nostra opera inficiuntur.

MARIA. Fili mi! DEO sit honos & gloria, cujus gratia semper immunis fui ab illa arrogantia, quam merito funestam pestem adpellas.

Soli DEO honor & gloria. Ah! quid est, quod homo DEO in acceptis referre non debeat.

Satis me DEUS supra communem hominem fortem extulit, dum me Messiae Matrem delegit. Anne inter homines etiam præcellentiam quamdam aucuparer?

Qui nihil aliud quærit, quam DEUM, nihil quidquam videt grande, nisi DEUM. Honores mundi, & quidquid profani homines in pretio habent, inter crepundia, & vanas, frivolasque res numerat.

Con-

Consule, fili mi! fidem tuam, consule etiam ipsam rationem; & non eris amplius tam avidus laudum, & honorum.

Tum ambitio tua ad altiora tendet, solumque adpetes gloriam patriæ cœlestis, cui sanctos suos DEUS reservat.

Si oblivione quadam sepeliaris, & pro nihilo habearis, non modo non tristere, sed gaude etiam, quia non securior via, qua ad magnam in cœlis gloriam perveniatur, quam humilitas & contentus ex DEI amore, & religionis fervore toleratus.

Relinque igitur amatoribus mundi vanos titulos, & omnem illam excellentiam, qua gloriantur. Serva te gloriæ minime fallaci, & magis duraturæ.

Sæpe a DEO postula cum Davide: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem rerum terrenarum.* (a)

Multi perierunt, qui mundo huic velut idolo suo fervierunt. Noli augere numerum horum dementium, qui adhuc quotidie illi veluti thus adolent.

Servus. O Virgo sancta! in rem meam utar exemplis, & consiliis tuis. Nuncium remitto omni alteri gloriæ; quam quæ cum imitatione virtutum tuarum est conjuncta.

Quia vero voluntas mea imbecillis est, & facile in avia abripitur, tuum imploro præsidium. Impetra mihi eam animi constantiam, qua opus habeo, ut omni contemtu mundi, & perfidis ejus lenociniis superior evadam.

C A P U T XXXI.

Aliorum errata cum charitate & mansuetudine ferenda sunt.

Servus. Virgo, quæ mansuetudine omnes mortales longo intervallo superas, doce me tuo agendi modo cum tot ingratis hominibus, quibus incassum cœlestem suam doctrinam JESUS proposuit, & in quorum gratiam tam stupenda miracula ad confirmandam suam legem patravit, quomodo aliorum errata ferre debeam.

Etsi enim non raro JESUS laudibus & præconiis in cœlum efferebatur, quoties tamen procassissimis impugnationibus, & injuriis lacebatur?

Invidia multos ei obrectatores suscitavit, qui ejus doctrinam infamia notarunt; qui miraculis ejus præstigiarum labem inusserunt; qui divinum hunc præceptorem coloribus terribis expinxerunt.

Quo.

Quoties tu testis fuisti enormium injuriarum? & tamen exemplo filii tui divini sincero adversarios ejus amoris sensu prosequeris, & *cogitabas cogitationes pacis* (a) Tu detestaberis omne peccatum, & amabas semper peccatorem.

Solum commota intimis visceribus ob offensam DEI, abstinebas omni querimonia adversus ingratos. Quin patrocinium eorum apud JESUM suscipiebas.

Heu me! Tu te gerebas erga eos, ut te jam a tot annis gessisti erga me.

Ego sum maxime infidus, & maxime ingratus servorum tuorum. Tu tamen tam benevole me sustinuisti, & novos etiam indies favores DEI impetrasti.

O Mater DEI, qui est princeps pacis, impetra mihi gratiam, ut non dem querelam, & *in omni dato dem tristitiam* (b) *verbi mali.*

O Virgo mitissima! cujus vel solum nomen, & effigies, quæ te referunt, in anima sensus mites ac pios progignunt, postula pro me hanc mansuetudinis virtutem, hunc pacis amorem, quo gloriosum titulum meremur filiorum DEI juxta doctrinam JESU: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est,*
O 4 qui

(a) Jer. 29. 11.

(b) Eccl. 18. 15.

qui solem suum oriri facit super bonos & malos. (a)

MARIA. Deprecabor pro te, fili mi! quod tuum est, responde gratiis, quas tibi impetrabo. Gratia non tollit difficultates, sed vires tribuit illas superandi.

Novi homines tibi sæpe molestos esse inconstanti sua indole, ingenio aspero, il-
liberali agendi modo, sed gratia, modo sis docilis, efficiet, ut magno tuo merito omnem animi repugnantiam vincas.

Non quotidianæ sese sanctis hominibus offerebant occasiones heroica virtutum facinora edendi; verum ferendo quotidie cum patientia aliorum errata, coronam gloriæ, quæ illos manebat, veluti totidem gemmis exornarunt.

Vita christiani hominis est constans exercitatio victoriæ sui ipsius. Homines fere semper occasionem præbent merita accumulandi.

In multis enim offendimus omnes (b) Arripere ergo debemus remedia expiandi peccata nostra. Inter hæc remedia præcipuum est perferre molestias ab aliis illatas ex animo pœnitendi.

Cete-

(a) Matth. 5. 45.

(b) Jac. 3. 2.

Ceterum fili mi! quisque hominum aliquid manticæ a tergo portat. Perfectissimus est, qui minus, atque alii, oneratur.

Tu in fratribus tuis, illi in te nævos detegunt. Neque enim es ex numero eorum, qui sibi persuadent, se omni nævo carere, & vel ideo nævo omnium maximo, amore proprio infecti sunt.

Fratres tui talem te, qualis es, patiuntur. Patere & illos tales, quales sunt.

Saltem tantam patientiam adfer ad aliorum errata perferenda, quanta tibi opus est ad tua ipsius errata ferenda, quæ vel invitus in te agnoscere debes.

Diuturnam jam operam emendationi tui ipsius impendis. Sed adhuc fere operam & oleum perdidisti. Quomodo ergo id assequaris, ut alios ad voluntatem tuam emendes?

Omnes querimoniæ, quas jactas in quosdam homines, a quibus alieno es animo, ob molestias, quas tibi facessunt, non eos corrigent, nec quidquam remedii adferent.

In omni genere ejusmodi afflictionum id unum superest, ut a JESU auxilium efflagites ad fructum inde capiendum, & quidem talem fructum, ut in te ipsum redeas, & in virtute roboreris.

CAPUT XXXII.

Adquiescendum est in omnibus in divina voluntate etiam tum, quum aliquid contrarium gloriæ divinæ accidit.

Servus. Quanta dolorum seges, o Mater JESU! inde tibi enata est, quod cernebas, exiguum a Judæis fructum reportari ex novæ legis promulgatione.

Doctrina filii tui divini tot luculentis miraculis confirmata, non reducebat ad frugem mentes obstinatas quam plurimas, quæ videlicet cæcutire volebant.

Increduli hi, similes ægrotantibus, qui medelam adferre volentes a se repellunt, occludebant aures voci divinæ, quæ salutem eis offerebat.

Quos eo tempore sensus animo concepisti? Ingemuisti, & perversorum hominum cœcitatem, ac obstinationem deplorabas; sed ingemuisti tacite, & tranquille; neque desisti cœlum obtestari, ut ad veritatis lucem pervenirent.

MARIA. Fili mi! quis ardentius atque ego, desiderare potuit, ut JESUS ab omnibus agnosceretur? Studium, quo flagrabam, gloriæ illius provehendæ exacuit intimum doloris sensum, ex Judæorum pervicacia

cacia conceptum. Cur vero animi quietem deperderem?

Sciebam, DEUM sæpe sceleratis hominibus veluti ministris uti ad consilia sua exsequenda; sciebam, DEUM frequenter ex malo bonum elicere. Hinc in silentio adorabam hanc infinitam sapientiam, quæ nonnunquam iniquitatem triumphare finit.

Servus. Hæc tua patientia, Virgo sancta! mihi documento erit in quibuslibet eventibus hujus vitæ, imprimis, quando sancta mea, quam profiteor, religio succutietur.

MARIA. Ubi videris scelus prospere agere, & quasi erecto vertice in innocentiam insultare, ne corripiaris æstu immoderato, nec indigneris, aut irriteris. Religio id tibi prohibet.

An tu nolis perferre, quod DEUS ipse perfert. Posset utique DEUS impedire id, quod forte est tibi offensioni. Non id facit, sed certis ac destinatis consiliis plura fieri permittit. Tuum est, hæc submisce adorare.

Sine DEI nutu nihil accidit in hac terra. Malum æque, ac bonum finibus providentiæ suæ deservit. Hos fines, hæc consilia tu nunc non adsequeris. Erit aliquando, ut æquitatem & sapientiam judiciorum DEI agnoscas.

Par quidem est, si religio in discrimen adducitur, te intimo doloris sensu tangi. Æquum est, te propterea sancte tristari. Id etiam tibi licere puta, ut de his malis familiariter apud DEUM conqueraris.

Verum ut hæc mala tibi offensionem sint, ita, ut fides tua, aut animi tranquillitas vacillet, id a te alienum sit. Non ardor divinæ gloriæ, sed abusus & immoderatio id foret.

Virtus virtuti non officit. Submissio animi, qua id, quod DEUS permittit, æqualiter fertur, cum veraci studio gloriæ divinæ componi potest.

Sunt mala, quæ lacrymas tuas, quæ gemitus tuos deposcunt; sed lacrymas profusas ad pedes Domini; sed gemitus ad ejus sinum sublato.

Dolorem tuum cum illo communica. Obsecra, ut finem malis ponat. Dic ei sancta cum libertate, qua minime offendetur.

Exsurge, quare obdormis Domine? exsurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ. (a)

Tu Domine ipse es, cui bellum indicare homines non verentur. Tuum sanctum nomen est, quod injuria adficitur. Tua sancta

Et religio est, quæ sacrilegis dictis violatur. Opus tuum est, quod evertere nituntur.

Defende causam tuam. Non patere diutius, ut iniquitas triumphum canat. Gloria tua ipsa inde detrimenta accipit.

Hac ratione, fili mi! satisfacies officiis, quæ ardor gloriæ divinæ, & religio a te exigunt. Atque ita tranquille & patienter præstolaberis Dominum, donec consolationem tibi adferat.

C A P U T XXXIII.

De signis veræ sanctitatis.

Mulier quædam aliquando extollens vocem dixit præsentī servatori: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.*

At ille dixit: *quin immo beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* (a)

His verbis JESUS declarat, dignitatem Matris DEI non esse id, quod unice MARIAM distinguit ab aliis; sed eam vel maxime distingui per constantem observationem officiorum omnium, quæ religio injungit.

De-

(a) Luc. 11. 27.

Declarat etiam meritum illius non consistere in prærogativa Matris DEI, quam a DEO, & DEO quidem solo consecuta est; sed in vitæ sanctitate, quæ secundum DEUM fructus est vigilantia, qua divinis gratiis respondit, & fructus operum suorum.

Non id, quod DEUS pro nobis agit, est tantummodo, quod ejus favores, & præmia meretur; sed illud, quod nos pro DEO agimus.

Servus bonus, & fidelis, cujus Evangelium meminit, non in acceptis quinque talentis, sed in lucro facto meritum suum reponit.

Recte gloriaris titulo filii DEI, quem in baptismo accepisti. Verum considera hanc adpellationem tibi locum inter sanctos minime tribuere, si te per vitæ sanctimoniam ea dignum non præstes.

Fuerunt inter sanctos, qui a sensibus abalienati cœlestia degustarunt. Non est, cur eam ob rem invidia tangaris.

Iidem fuerunt divinæ voluntati obsequentes, & constanter obsequentes: istud est, quod pro viribus imitari debes.

Si amplexus es sanctum aliquod institutum, sanctitas instituti te securum reddere non potest; sed vigilantia tua, & accurata cura in status officiis explendis.

Judas externa specie miracula patravit,
& tamen damnationem non effugit. Contra
Joannem Baptistam miraculis inclaruisse non
legimus, nihilominus filius DEI in Evange-
lio maximis cum laudibus exornat.

In hominum existimatione nomen ali-
quod obtinere possumus sine vitæ sanctitate.
At coram DEO tantum valemus modo,
quantum sancti esse contendimus.

Nemo autem sanctus est, nisi quantum
sancta opera exercet. Hoc nobis erit, ut
MARIAE fuit, verum gloriæ nostræ funda-
mentum.

Penitus ergo persuasum habe, DEUM
salutem tuam non donis præter ordinem, aut
donis naturæ & gratiæ alligasse; sed te ab illo
veluti Dominum salutis tuæ constitutum esse,
dum voluit, ut illa secundum se ipsum a te
dependeret.

*ODEUS meus! qui ingreditur sine macula,
& operatur iustitiam, hic habitabit in taber-
naculo tuo sempiterno. (a)*

(a) Ps. 14. 2.

